

William Camden
Britannia (sixth edition)
London
1607

BRITANNIA,

SIVE
FLORENTISSIMORVM
REGNORVM ANGLIÆ,
SCOTIÆ, HIBERNIÆ, ET
Insularum adiacentium ex intima antiquitate
Chorographica descriptio:

Nunc postremo recognita, plurimis locis magna accessione
adaucta, & Chartis Chorographicis
illustrata.

GVILIELMO CAMDENO Authore.

LONDINI,
Impensis GEORGII BISHOP &
IOANNIS NORTON.
M. DC. VII.

.....

229

<281>

Cantium.

Ad Cantium nunc perueni, quam regionem licet Guilielmus Lambardus, vir insigni eruditione, & moribus sanctissimis ornatissimus, adeo graphice iusto volumine descriperit, vt curiosa eius fœlicitas paucula aliis reliquerit; pro suscepti tamen operis ratione, eam quoque percurram, & ne sublesta, vt inquit Comicus, fide me agere quis existimet, eum mihi fundum & fontem fuisse libens merito hic agnosco.

Carion corrupte apud Diodorum Siculum.

Nomine antiquo nondum tempus hanc regionem spoliavit, sed vt Cæsari, Straboni, Diodoro Siculo, Ptolomæo, & reliquis Cantium dictum fuerit, sic Saxonibus, teste Ninnio, Cant-guar-lantd, id est, Regio virorum Cantium incolentium, & nobis Kent. Hoc nomen a Cainc, quæ Britannis frondem sonat, quia olim syluis opaca fuerit, deducit Lambardus. Ego vero (si coniecturam interponere liceat) cum ingenti angulo in ortum hic Britanniam excurrere viderim, obseruarimque eiusmodi angulum in Scotia Cantir dici, incolas item alterius anguli, in ea parte insulæ Cantas Ptolomæo vocari, Canganos etiam in Wallia alterum angulum tenuisse (vt taceam Cantabros, qui angulum etiam inter Celtiberos insederunt) qui vt vnus originis, vnus ita linguæ, cum nostris Britannis fuere; coniectarim a situ nomen inditum, eoque magis, tum quod Galli nostri, * Canton pro angulo vsurparint, & a veteri (vt probabile est) Gallorum lingua; non enim e Germanica, vel Latina est, quæ cum illa vetusta, huius recentioris Gallici idiomatis sunt matrices: tum quod Angulus hic ager a veteribus omnibus Geographis dicatur. Grandi etenim angulo Galliam prospectat, Tamisis æstuario, & Oceano omni ex parte circumfusus, nisi qua ad occidentem Solem, Sureiam conterminam habet, & Southsexia partem ad Meridiem.

* Vnde Canton in arte Heraldica pro angulo, & Heluetiorum partem quasi anguli a Gallis dicti.

230

<282>

Kent.

Hæc regio quam nunc Kent vocamus est inæqualis, ad occasum planior, & syluis vmbrosa, ad ortum collibus molliter surgentibus ex-

* Rumney Marsh.

Plin. lib. 15. c. 25. Cærasa in Britanniam translata circa annum Christi 48..

Militaris Cantianorum virtus.

Iulius Cæsar.

<283>

Pag. 26. 27. &c.

Comes littoris Saxonici.

Liber Notitiarum

Guardianus siue Custos v. portuum.

Cantium Saxonibus traditum.

celsior. Incolæ, qua a Tamisi ad Austrum patet, in tres areas, siue portiones (Gradus vocant) distinguunt, quarum superiorem ad Tamisim salubrem, sed minus opulentam esse ferunt, mediam, & salubrem, & opulentam: inferiorem vero opulentam, sed insalubrem, * vt ipse quæ magna ex parte est viginosa, **sed luxurianti gramine lætissima.** Pratis tamen, pascuis, aruisque vbique fere læta, pomis ad miraculum abundans, nec non cerasis, quæ anno a Roma condita DCLXXX. in Italiam e Ponto deuecta, & vicesimo supra centesimum post anno in Britanniam translata, foelicissime hic proueniunt, multumque agri occupant, arboribus in quincun= cem, iucundissimo spectaculo directis. Villas, & opida habet frequentissima, stationes satis tutas, ferri venas nonnullas, sed aerem crassiusculum ob halitus ex aquis euaporantes. Incolis ea humanitatis laus, quam Cæsar olim tribuit, etiamnum iure debetur; vt virtutem bellicam taceam, quam tantam in Cantianis fuisse Monachus quidam scripserit, vt in procinctu, exercitus frons illis tanquam triariis, merito inter Anglos debeatur. Quod etiam comprobatur in suo Polycratice Ioannes Sarisburiensis. 'Ob egregiæ,' inquit, 'uirtutis meritum, quam potenter, & patienter contra Danos exercuit **Cantium nostrum** primæ cohortis honorem, & primos congressus hostium vsque in hodiernum diem in omnibus præliis obtinet.' Quorum etiam in laudem scripsit Malmesburiensis. 'Gens rustica, & vr= bana Cantii, plusquam cæteri Angli, antiquæ nobilitatis conscientiam adhuc spirat, & ad honorificentiam, & hospitium cuiuslibet pronior, & ad pulsandas iniurias serior.'

Cæsar, (vt **paucula præfari liceat priusquam ad loca accedam**) cum primum insulam nostram aggrederetur, in hac regione terram conscendit, nauibusque egredi a Britannia Cantianis prohibitus, littore non sine graui pugna potitus est. Cum secundo etiam nos adiret, hic exercitum exposuit, Britannie cum equitatu & essedis ad Sturum flumen animose exceperunt, sed a Romanis cito repulsi se in syluas subdixerunt. Inde cum equitatu Romano acriter prælio in itinere conflixerunt, ita tamen vt Romani omnibus partibus superiores fuerint, ac intermisso spatio rursus in Rom. impetum fecerunt, per medios audacissime perruperunt, interfectoque Laberio Duro, militum Tribuno, incolumes se receperunt, posteroque die ad pabulatores aduolarunt, &c. quæ **superius e Cæsare perstrinxi.** Quo tempore Cantio præfuerunt Cyngetorix, Caruilius, Taximagulus, & Segonax, quos ille, vt reges deuicisse videatur, Reges vocat, cum tantum reguli fuerint, vel melioris notæ nobiles. Constabilito Romanorum Imperio, sub Præsede Britannicæ Primæ censebatur. Ora vero maritima, quam Littus Saxonicum dixerunt, vt etiam littus oppositum a Rheno ad Xanctones, præfectum habuit a Dioclesiani tempore, quem Marcellinus 'Tractus maritimi Comitum,' Notitiarum liber 'Spectabilem virum littoris Saxonici Comitum per Britanniam' vocat, cuius munus erat, præsidia **ad littus** per opportuna loca dispositis, barbarorum, **sed inprimis Saxonum qui grauiter Britanniam infestant, deprædationes cohibere.** Sub dispositione autem erat illustris Magistri peditum quem Præsentalium dixerunt, qui præter præsidia ad portus, in omnia momenta Victores Iuniores Britannianos, Primanos Iuniores, & Secundanos Iuniores, (hæc sunt cohortium nomina) illi assignauit. Officium autem habuit hoc modo. 'Principem ex officio magistri præsentium a parte peditum. Numerarios duos, Commentariensem, Cornicularium, Adiutorem, Subadiuum, Regerendarium, Exceptores singulares, &c.' Nec dubito, quin maiores nostri hoc Romanorum institutum imitati fuerint, cum præfectum siue Limenarcham huic oræ præfecerint, quem Quinque portuum Guardianum vulgo vocitant, quia, vt Comes littoris Saxonici nouem, ita quinque portuum præsit.

Cum autem Romani e Britannia cessissent, Vortigernus qui maximæ Britannicæ parti cum imperio præfuit, Cantio Guorungum præfecit, id est, Proregem, siue Libertum, quo nesciente, hanc regionem (vt habent Ninnius, & Malmesburiensis) statim Hengisto Saxoni, in gratiam Rowennæ, eius filicæ quam misere deperibat, gratis concessit. Hinc

231

primum Saxonum in Britannia regnum anno Christi CCCCLVI. constitutum, illis Cantwara-ryc .i. **Cantianorum virorum regnum** dictum, quod post annos CCCXX. Baldredo ultimo rege deuicto, in occiduorum Saxonum potestatem deuenit, quibus ad Normanorum vsque imperium paruit. Tunc enim (si **Thomæ Spotto Monacho credamus, vetustiorum enim nemo prodidit**) Cantiani ad Suanes-combe (viculus est, vbi Suenum Danum olim castrametatum ferunt) ramos prætendentes ea lege Guilielmo Normanno se dederunt, vt patrias consuetudines illæ retinerent, illamque inprimis, quam Gæuelkind nominant. Hac terræ, quæ eo nomine censentur, liberis masculis ex æquis partibus diuiduntur, vel foeminis, si masculi non fuerint. Hac hæreditatem cum xv. annum attigerint, adeunt, & sine Domini consensu, cuiilibet vel dando, vel vendendo alienare licet. Hac filii parentibus furti damnatis in id genus fundis succedunt, &c. vt vere,

<284>

Gæuelkind.

quamuis minus pure, in antiquo libro sit scriptum. 'Dicit Cantii Comitatus quod in Comi-
tatu isto de iure debet de eiusmodi grauamine esse liber, quia dicit quod Comitatus iste, vt
residuum Angliæ, nunquam fuit conquestus, sed per pacem factam se reddidit Conquestoris
dominatui, saluis sibi omnibus libertatibus suis & liberis consuetudinibus primo habitis &
vsitatis.' Deinceps Guilielmus victor, vt Cantium, quæ tanquam Angliæ clavis habetur,
sibi firmius retineret, Connestabilem Castro Douerensi, eundemque Limenarcham v.
portibus ex veteri Romanorum instituto præfecit, & **Quinque portuum custodem no=**
Lord warden of
the fiue Ports.
Vide pag.
226. in Sus=
sexia.
Depford.
* Holy Trinitie
House.
Mamignot.
<285>
Greenwich
Normanni
iidem qui
Dani.

minauit. Hi sunt, Hastings, Douer, Hith, Rumney, & Sandwich, quibus Winchelsey,
& Rie, vt præcipua, & alia opidula vt membra adiunguntur. Quæ quia bello maritimo ope=
ram nauare tenentur, immunitatibus gaudent multis & magnis; vtique a subsidiorum
pensitationibus, & lege pupillari quoad corpus sunt immunes, nec alibi quam in suis o=
pidis in ius vocantur, & ex incolis qui Baronum nomine gaudent, in Regum & Regina=
rum Angliæ inaugurationibus Conopæa super eos sustentant, & a dextra Regis suam eo
die habent mensam instructam, &c. Ipseque Limenarcha, qui semper aliquis est e pro=
ceribus nostris fidei spectatissimæ, in sua iurisdictione Admiralli autoritatem in pluri=
mis aliaque iura habet. Sed iam ad loca.

Septentrionalem huius regionis partem Tamisis Britannicorum fluminum præcipu=
us, vt iam dixi, alluit, qui Surreiam prætergressus statim sinuoso flexu fere in se reductus,
primum Depford vidit nauale notissimum, vbi regiæ naues construuntur & quassæ repa=
rantur; **ibique** armamentarium insigne & quasi * collegium in vsum classis constitutum.
Locus olim West-Greenwich vocabatur, & Gisleberto de Mamignot Normanno in An=
gliæ expugnatione obtigit, cuius e filio nepos Walkelinus castrum Douerense contra
Stephanum Regem propugnauit, & filiam superstitem vnicam reliquit, quæ fratre de=
functo, suis nuptiis opulentam hæreditatem dictam Honorem de Mamignot in Saiorum
familiam intulit.

Hinc Tamisis Grenouicum adit, vulgo Greenewich, id est, Sinus viridis, (fluminis e=
nim sinus Wic Germanice dicitur) Danicæ classis statione, & Danica in Ealphegum Ar=
chiepiscopum Cantuariensem (quem anno Christi **MXII.** exquisitis tormentis tru=
cidarunt) immanitate olim notissimus. Cuius mortem cum caussa sic descripsit, qui sub
id tempus vixit Ditmarus Mersepurgius Libro Chron. octauo. 'Percepi a relatu Seuual=
di factum miserabile, ac idcirco memorabile, quod perfida Northmannorum manus, Du=
ce adhuc Thurkilo, Cantuariæ ciuitatis egregium antistitem Ealphegum nomine, cum cæteris
caperet, & vinculis & inedia ac ineffabili pœna, more suo nefando, constringeret. Hic hu=
mana motus fragilitate pecuniam eis promittit, & ad hanc impetrandam inducias posuit, vt
si in his acceptabili redemptione mortem momentaneam euadere nequiuisset, semetipsum ge=
mitibus crebris interim purgaret, hostiam domino viuam ad immolandum. Transactis
tunc omnibus designatis temporibus, vorax piratarum Charibdis domini famulum euocat,
& sibi promissum celeriter persolui tributum minaciter postulat. Et ille, vt mitis agnus præ=
sto sum, paratus ad omnia, quæ in me nunc præsumitis facere, Christi amore, vt suorum mere=
ar fieri exemplum seruorum. Non sum hodie turbatus. Quod vobis mendax videar, non
mea voluntas, sed dira effecit egestas. Corpus hoc meum, quod in hoc exilio supra modum
dilexi, vobis culpabile offero, & quod de eo faciatis, in vestra esse potestate cognosco: animam
autem peccatricem creatori omnium, vos non respicientem, supplex committo. Talia loquen=
tem prophanorum agmen vallauit, & diuersa hunc ad interficiendum arma congerit. Quod

232

cum eorum dux Thurkil a longe vidisset, celeriter occurrens, ne quæso sic faciatis, in fit, au=
rum & argentum & omne quod hic habeo, vel vllō modo acquirere possum, excepta nauī so=
la, ne in Christum domini peccetis, libente animo vobis omnibus trado. Tam dulci affatu in=
frænata sociorum ira, ferro & saxis durior, non mollitur, sed effuso innocenti sanguine pla=
catur, quem communiter capitibus boum & imbribus lapidum atque lignorum infusione pro=
tinus confundunt.' Nunc vero Regiis ædibus celeberrimus est locus, quas Humfredus
Dux Glocestrensis ædificauit, Placentiamque dixit: Henricus VII. magnifice adauxit,
Fraterculorum Mendicantium ædiculam adiunxit, & perfecit turrim illam quam inchoauit
ille Dux Humfredus in edito colle, vnde in sinuosum flumen, & viridantia prata subiecta
patet prospectus perquam lætissimus. **Quæque nunc auctior & ornatior plurimum nouo
eius incolæ Henrico Howard Northamptoniæ Comiti se debere non potest non agnos=**
cere. Sed **Greenwico** huic longe maximum decus est nostra Elizabetha, quæ hic
fœlicissimis auspiciis in lucem ædita, vniuersæ Britannicæ, imo vniuerso terrarum orbi
tantam lucem regiæ virtutis splendore affudit, vt omni laude maior **satis celebrari non
potuerit.** Sed de Grenouico hæc etiam Lelandi Antiquarii carmina percurrere:

Ecce vt iam niteat locus petitus

Tanquam syderea domus cathedræ.
 Quæ fastigia picta? quæ fenestræ?
 Quæ turres vel ad astra se efferentes?
 Quæ porro viridaria, ac perennes
 Fontes? Flora sinum occupat venusta
 Fundens delicias nitentis horti.
 Rerum commodus æstimator ille,
 Ripæ qui variis modis amœnæ,
 Nomen contulit eleganter aptum.

- Eltham. Nihil aliud habeo quod hic adnotem nisi (vt bene merentium memoria per me non intercidat) quod Guilielmus Lambardus, vir vt summa doctrina, ita singulari pietate, ad sustentandos pauperes hic ædes extruxit quas Collegium Pauperum Reginæ Elizabethæ nominauit. Huic a tergo Eltham secessus item regius adiacet, vix trium milliarium hinc diuerticulo, quam Antonius Beccus Dunelmensis Episcopus, & Hierosolymitanus Patriarcha extruxit, Æleonoræque Reginæ Edwardi Primi vxori donauit, cum Vesciorum hæreditatem interuertisset, ad quos locus iste prius spectauit. Episcopus enim ille, quem vltimus Baro de Vescy fiduciarium hæredem sibi scripsit, vt hæreditatem Guilielmo de Vescy filiolo illegitimo traderet, vix bona fide cum pupillo egisse traditur.
- Liber Dunelmensis. Infra Grenwicum, Tamisis diuulsis aggeribus quam plurima terræ iugera oppressit, quocum annos iam plures, nonnulli immensis sumptibus luctati, vix molibus agendis, adiacentes agros contra irruentes vndas tueri possunt. Prouenit hic copiose Cochlearia, nostris Scuruygrasse, quam medicorum nonnulli Plinii Britannicam esse volunt, quo nomine ego illius iam memini, sed audi Plinium: 'In Germania trans Rhenum castris a Germanico Cæsare promotis, maritimo tractu fons erat aquæ dulcis solus, qua pota, intra biennium dentes deciderent, compagesque in genibus soluerentur. Stomacacem medici vocabant, & Sceletyrben ea mala. Reperta auxilio est herba quæ vocatur Britannica, non neruis modo & oris malis salutaris, sed contra anginas quoque & serpentes, &c. Frisii qua castra erant, nostris demonstrauere illam. Mirorque nominis causam, nisi forte confines Oceano †Britanniæ velut propinquæ dicauere.' Aliam tamen & quidem probabiliorem nominis rationem adfert in suo Nomenclatore eruditissimus Hadrianus Iunius, quem si placeat adeas, Britannicæ enim vocabulum me a cursu hic deflexit.
- The breach. Tamisis deinde ripis suis coarctatus Darentum flumen obuium habet, qui e Suthreia demissus leni alueo vndas ducit haud procul a Seuen-oke a septem eximiæ magnitudinis quercubus, vt ferunt, denominatum, ad Ottan-ford, nunc Otford Danicæ stragis anno MXVI. consciam, Regiisque ædibus superbam, quas Warhamus Archiepiscopus Cantuariensis tanta magnificentia sibi, & suis successoribus construxit, vt ad amoliendam inuidiam, cum Henrico Octauo commutare necesse habuerit Cranmerus successor
- Scuruygrasse. Britanica herba. Vide in Insulis Britan. de Armamentario Britannico. <287>
- Seuenok. Otford. 233
- Dartford. proximus. Lullingston vbi castrum olim fuit sedes familiæ nobilis eiusdem nominis, inferius Darento apponitur, qui ad ostium Darentford, vulgo Dartford, amplum & frequens forum suo nomini adsciscit, sub quo Crecca riuius vna commiscetur; ad cuius vadium Creccanford, nunc Creyford, Hengistus Saxo octauo a Saxonum ingressu anno, signa cum Britannis contulit, cæsisque ducibus, tanta strage protriuit, vt ab illis nihil sibi deinceps metuerit, & regnum in Cantio securus constituerit.
- Graues-end. A Darento ad Medweagi ostium nihil suspicit Tamisis præter opidula, quæ †tacitus præterire, nullum famæ rerumue dispendium. Inter ea primas tamen ferunt Graues-end, notum, si quod aliud Angliæ opidum, vtpote statio inter Cantium & Londinum, vbi vtramque ripam propugnaculis communiuit Henricus Octauus. Huic a tergo paulo interius adiacet Cobham sedes iam diu Baronum de Cobham, e quibus vltimus Ioannes Cobham Collegium hic, & castrum ad Couling fundauit, filiamque reliquit vnicam vxorem Ioannis de La-Pole Militis, quæ vnicam etiam genuit filiam Ioannam pluribus enuptam. Peperit autem illa solummodo Reginaldo Braybrok. Maritus vero tertius Ioannes de Oldcastle dum rebus in religione innouandis studeret, suspendio & igne periit. Reginaldi vero Braybrooke vnica filia Ioanna contraxit nuptias cum Thoma Brooke de Comitatu Somersettensi, a quo nunc Sextus erat Henricus Brooke Baro Cobham, qui, quod suis optatis fortuna in omnibus non responderit, impotentis animi effrænatione abreptus, fidem in principem clementissimum exuit, extremique supplicii sententiam subiit: superest tamen regiæ clementiæ exemplar æternum.
- Barones de Cobham. A Graues-enda Ho regiuncula quasi Chersonessus inter Tamisim & Medweagum flumina intersita hic longe in Ortum se emittit, situ minus salubri; in qua Cliffe opidum satis amplum a cliuo cui insidet ita nominatum. An tamen sit illud Cliues at Ho Synodo
- Ho. 1603. Ho. Medwey. Cliff.

<p><288> Weald. Pensherst. Sidney. Vicecomes Insulæ.</p> <p>Vide in Barkshire. Philippus Sidney.</p>	<p>celebre in tenella ecclesiæ Anglicanæ ætate cum aliis affirmare non ausim, cum ratione situm ad Synodum habendam sit locus parum commodus, & illud Cliues at Ho in Merciorum regno fuisse videatur. Medwege fluius, nunc Medway (Britannice nisi me veritas fugit, Vaga, cui Med Saxones addiderunt) fontes habet in Anderida sylua, quæ Wealde, id est, Regio nemorosa dicta, & meridianam huius agri partem late occupat. Primum dum tenuis est Pens-hurst præterfluit antiquæ familiæ Sidneiorum sedem, quæ a Guillemo de Sidney Camerario Regis Henrici Secundi genus repetit. E qua fuit Henricus Sidneius celeberrimus ille Hiberniæ Prorex qui ex filia Ioannis Dudley Ducis Northumbriæ Comitisque Warwici Philippum & Robertum progeniuit. Robertum primum titulo Baronis Sidney de Pens-hurst, postea Vicecomitis Insulæ honoratissimum reddidit Rex noster Iacobus. Philippus autem mihi non sine piaculo tacendus, qui magnum huius familiæ sydus, magna spes hominum, expressissimum virtutis exemplum, & literati orbis amor, acriter (ad Zutphenum Geldriæ cum hoste congressus fortiter occubuit. Hic ille Sydnæus est quem vt Deus ideo natum voluit, vt priscorum specimen nostro seculo ostenderet; ita ex improviso ad se vt cælo quam terris digniorem reuocauit, & nobis subduxit. Eripit vtique se ex oculis subito perfecta virtus, & optimi neuitquam diurnant. Placide, si fas sit loqui, Sydnæe quiescas, nos te non lachrimis, sed admiratione decorabimus. Quicquid in te (vt de optimo illo Britannicæ Præsidi optimus scriptor loquitur) amauius, quicquid mirati sumus, manet, mansurumque est in animis hominum, in æternitate temporum, in fama rerum. Multos velut inglorios & ignobiles obliuio obruit, Sidneius posteritati narratus superstes erit. <Aretai> enim, vt canit ille Græcus, <Kreissones eisi morou.></p>
<p>Tunbridg.</p> <p>* The Lowy of Tunbridg.</p>	<p>Hinc Medway fl: Tunbridg respergit, vbi vetus est castellum quod Richardus de Clare construxit, qui commutationis iure pro Brionio in Normannia accepit. Eius enim auus Godfredus naturalis Richardi Primi Ducis Normanniæ filius, Aucensis, & Brionii Comes erat. Cum etenim diu de Brionio disceptatum fuisset, 'Richardus,' vt scribit Guillelmus †Gemiticensis, 'pro †repetitione eiusdem castrum in Anglia accepit opidum Tunbrige. Asserunt enim * Leucam Brionii cum funiculo circumcirca fuisse mensuratam & eodem fune in Angliam delato ad Tunbrige tantundem spatii in metiendo recepisse.' Veruntamen Manerium, vt vocant, de Tunbrige eius successores Glocestriæ Comites clientelari iure ab Archiepiscopis Cantuariensibus ea lege tenuerunt, vt Archiepiscoporum in inthronisatione Senescalli, & eorum liberi ipsis in tutela essent. Inde Medway delabitur non procul</p>
234	
<p>Mereworth. Baronissa Le Despenser. Ex literis patentibus. <289> Vagniacæ.</p> <p>Madus.</p> <p>Portgreuius.</p> <p>Dorolenum. Leneham.</p> <p>Bocton Malherb.</p>	<p>a Mereworth, vbi ædes instar castelluli quæ ab Arundeliæ Comitibus ad Neuillos Abergeuenniæ & Le Despenser Dominos deuenerunt, quorum hæres recta linea est Maria Fane, cui & hæredibus Iacobus Rex primo quod tenuit Parlamento 'nomen, stylum, titulum, honorem, & dignitatem Baronissæ Le Despenser restituit, dedit, & concessit &c. quodque hæredes successiue sint Barones Le Despenser in perpetuum.' Ad Maidston iam properat Medweagus, quam cum Saxones Medwegston, & Medweageston dixerint, Vagniacas esse illas credo, quas Antoninus memorat, & Ninnius in suo vrbium catalogo, Caer Megwad corrupte, pro Medwag vocat: nec sane distantiae ratio repugnat, hinc a Nouiomago, inde a Durobroui, de qua mox agemus. Sub posterioribus Imperatoribus, vt in tabula Peutegeriana nuper a M. Velsero ædita videre est, Madus dicitur. Sic sensim voluentibus annis sensim immutantur nomina. Opidum hoc est frequens & cultum, magnaue longitudine extensum. In medio Archiepiscoporum Cantuariensium palatium, a Ioanne Vfford Archiepiscopo inchoatum, & a Simone Islip absolutum habet; alter item publicus totius huius agri carcer hic constituitur, immunitatesque plurimas Regiæ Elizabethæ fert acceptas, quæ Maiorem summum magistratum instituit, pro Portgreuio, quem prius habuit; quod adnoto, quia antiquum hoc sit Saxonicum vocabulum, & apud Germanos etiamnum rectorem denotet, vt Markgraue, Reingraue, Landtgraue, &c.</p> <p>Hic sub Vagniacis, ab oriente Sole fluiolus Medwegæ consociatur, qui †ab Leneham surgit, quæ Antonino, coniectura probabili, Dorolenum est, perperam in nonnullis exemplaribus Duroleuum. Dorolenum enim Lenum aquam Britannis sonat, & præter nominis reliquias, distantia etiam a Durouerno, & Durobroui, hoc esse Dorolenum comprobatur; vt taceam situm ad viam Consularem Romanorum, quæ olim a Douer (vt author est Higdenus Gestrænsis) per medium Cantium duxit.</p> <p>In vicinia ad Bocton Malherb iam diu habitauit nobilis familia Wottonorum, e qua nostra memoria effloruit & Nicholaus Wotton Legum Doctor qui Henrico Octauo, Edwardo Sexto, Mariæ & Elizabethæ RRRR. a consiliis sanctioribus, nouies ad externos principes legatus, ter ad pacem inter Anglos, Gallos & Scotos delegatus longum vitæ stadium magna piæ prudentiæ laude decurrit; & Edwardus Wotton eius e fratre prone-</p>

Wotton Baro. pos, quem ob multiplicem rerum vsum Elizabetha Regina Aulæ Regiæ Censorem constituit, & Iacobus R. Baronem Wotton de Merlay creauit.

Leedes castle. Creuequer familia. Nec aliud oppositum habet hic fluuii quod memorem præter Leedes Castrum, quod fuit Creuequerorum nobilium opus, qui in antiquis Chartis de Creuequer, & Crepi=to corde nominantur. Postea Bartholomæi Baronis de Badilsmer inauspicata erat sedes, qui illud perfide contra Edwardum Secundum, a quo dono acceperat, communi=uit; sed postea meritas perfidiæ pœnas **suspensio** soluit. Rem totam, si placet, legas ex historiola Thomæ De-la-More viri nobilis qui eadem tempestate vixit, **quamque nuper in lucem ædidi**. 'Anno M. CCC. XXI. venit Isabella Regina ad castrum de Leedes circa festum Michaelis, atque ibi pernoctare voluit, at vero non est permessa ingredi. Hac re Regis animo offenso, vt in suum contemptum acta, conuocatis vicinis ex Essexia & Londino non= nullis Castrum iussit obsideri: Castrum tenuit Bartholomæus de Badilsmer, in quo relicta vxore & filiis, ipse cum reliquis Baronibus ad res Hugonum **De-spenser** euertendas profectus fuerat. Interim inclusis de salute desperantibus, Barones cum suis Kingston vsque peruene=runt rogantes per intermissos Episcopos Cantuariensem, & Londinensem, & Comitem Pembrochiæ, vt obsidionem Rex solueret, polliciti se post proximum Parlamentum Castrum Regi in manus tradituros. Rex vero perpendens non posse diu obsessos resistere, exasperatus eorum contumacia, Baronum petitiones audire noluit: quibus in alias partes conuersis, po= stea non modico labore Castro potitur, reliquis in eo repertis suspensis, vxorem cum filiis ad Turrem Londinensem misit.'

<290>

Ailesford. Sic Leno fluuiolo recepto Medweagus per vberima arua, & Allington castrum, vbi splendida ædes restaurauit Th. Wiat senior, Eques auratus splendide doctus, deciden= dens Ailesford peruenit, Saxonice Eaglesford, Henrico Huntingdonensi Elstre, Nin= nio Epifford, qui prodidit Britannice Saissænaeg-haibail etiam dictum a Saxonibus ibi de= uictis, vti Anglesford alii eodem sensu vocarunt. Guortimerus enim Britannus Guorti= gerni filius Hengistum & Anglo-Saxones hic aggressus est; quos in compositos, cum

235

secundum impetum sustinere non possent, ita fugauit omnes, vt de **illis** actum fuisset; nisi Hengistus declinandi periculi gnarus, in Tanetum insulam se recepisset, donec inui= ctus ille Britannorum impetus deferueret, & integra subsidia e Germania aduenirent. Ceciderunt hoc prælio duces partium, Catigernus Britannus, & Horsa Saxo, quorum hic ad Horsted non procul hinc sepultus loco nomen reliquit: ille magnifico elatus funere contumulatus creditur prope Ailesford, vbi **quatuor** illa vasta saxa erecta, **aliis trans= uersariis superimpositis ad formam Britannici eius monumenti, quod Stongheng dicitur**. Hoc enim imperitum vulgus a Catigerno Keith coty house hodie vocat. Nec tacendum in proximo Boxley, vbi Monasterium anno MCXLV. posuit Guilielmus de Ipse **Flan= drens** Comes Cantii **monachis eo a Claraualle Burgundiæ translatis: & haud procul ab altera e regione ripa Birling sedet, Baronia olim Maminotorum, deinde Saiorum, quo= rum tandem hæreditas per fœminas ad familias de Clinton, Fienes, & Aulton deuenit.**

Horsted. Catigerni se= pulchrum. Orientali Medweagi ripæ (cum præteruectus sit Halling vbi ædes successoribus suis posuit Hamo de Heath Episcopus Roffensis) paulo superius vetusta ciuitas apponitur, Antonino Duro-brus, Duro-briuæ, & alibi rectius, Duroprouæ, vel Du= ro-brouæ. Bedæ Durobreuis, & inclinante Romano imperio, ita temporis progressus hoc nomen contraxit, vt Roibis nominaretur, vnde addito Ceaster, **(quod a Latino= rum Castro deflexum maioribus nostris ciuitatem, vrbem, siue castrum significauit)** Hro= ueceaster dicebatur, nobisque contractius nunc Rochester, & Latine Roffa, a Rhoffo quodam, vt coniectat Bedæ; sed pristini illius nominis Duro-brouis aliquid in se retinere mihi videtur. Nec est cur quis dubitet de nomine, cum præter Itinerariam rationem, & Bedæ auctoritatem, Durobrouis in Charta foundationis Ecclesiæ Cathedralis expresse vocetur. Hoc tamen admoneo, in impressis Bedæ libris †Darueruum legi, vbi in manu= scriptis Durobrouis concipitur. In conualle sedet, muris male firmis ex parte cincta, 'situ,' vt inquit Malmesburiensis, 'nimium angusta,' vnde olim Castellum potius quam vrbs ha= bebatur. 'Castellum' enim 'Cantuariorum' vocat Bedæ. Sed nunc ad occasum, orientem, & meridiem magnis tumet suburbiis. Casibus defuncta est non paucis. Anno Christi DCLXXVI. ab Æthelredo Mercio prostrata, & deinde a Danis sæpius direpta. Tem= plum magnificum erexit Æthelbertus Rex Cantii, quod & dignitate Episcopali illu= strauit; iusto primo episcopo designato: verum cum hoc vetustati cederet, Gundulphus circa annum MLXXX. restaurauit, & presbyteris expulsis monachos induxit, quibus iam eiectis, Decanus VI. Præbendarii, & Scholastici sunt subrogati. Iuxta templum flu= mini impendat castrum opere, & situ satis munitum, quod Odonem Episcopum Baio= censem, & Cantii Comitem extruxisse fama refert. Verum Guilielmus Primus procul= dubio construxit, Legitur enim in libro Domesday; 'Episcopus de Roueicester tenet in Eles=

Boxley. Birling. Halling. Durobreuis. In Tabula antiqua Wel= sero ædita Ro= ibis. Rochester. Ceaster quid. <291>

Textus Roffen=
sis antiquus e=
ius ecclesiae
liber M.S.

forde pro escambio terrae in quo castellum sedet.' Certum tamen est Odonem Episcopum, cum ex ancipiti rerum mutatione penderet, hoc contra Guilielmum Rufum tenuisse, & tandem rerum necessarium inopia coactum, non tantum castrum tradidisse, sed etiam de gradu deiectionem solum vertisse. Verum de restauratione huius castrum habe ex Textu Roffensi. 'Cum Rex Guilielmus Secundus confirmare nolisset donum Lanfranci de Manerio de Hedenham in Comitatu Buckingham: factum ecclesiae Roffensi, nisi Lanfrancus & Gundulphus Episcopus Roffensis darent Regi 100. libras denariorum. Tandem interuentu Roberti filii Hammonis, & Henrici Comitis Warwici Rex concessit quatenus pro pecunia, quam pro concessione Manerii exigebat, ut Episcopus Gundulphus quia in opere cementario plurimum sciens & efficax erat, Castrum Regi Roffense lapideum de suo construeret. Tandem ægre consentientibus episcopis coram Rege, Gundulphus Episcopus castrum de suo integro totum custamine fecit.' Pauloque post Rex Henricus Primus, 'Ecclesiae Cantuariensi, & Archiepiscopis eius custodiam, & Constabulationem in posterum possidendam concessit,' ut habet Florentius Wigorniensis, '& in eodem turrem sibi construendi licentiam.' Ex quo tempore vna, & altera obsidione fatigatum fuit, sed tum maxime, cum Barones armorum strepitu totam Angliam concuterent, & Simon de Monteforti acerrime, sed frustra oppugnaret, pontemque sublicium rescinderet. Pro quo saxeam arcuato opere spectatissimum e Gallorum manubiis substruxerunt postea Ioannes Cobham, & Robertus Knowles, qui ab infimo gradu ad summum honoris fastigium bellica virtute conscendit. Sub hoc ponte Medweagus violentus, & torrens aestuat, & eluctatur, statimque sedatior

<292>

* Canolius Gal=
lis dicitur.

236

Classis Regia.

nauale se exhibet classi omnium quas Sol vidit bellico apparatu instructissimae, & in omnia momenta paratissimae, quam Serenissima nuper Regina Elizabetha ad suorum tutelam, & hostium terrorem maximis impensis aedificauit, ad eamque defendendam propugnaculum in ripa apposuit.

Vpnoe.

Toliatia
insula.

Nunc Medweagus laetior, & latior crispantibus vndis spectatu amoenissimus fecundus agros subluit, donec Shepey insulae obiectu diuisus (quam Ptolemæi Toliatin esse suspicamur) duobus in Tamisii aestuarii ostiis infertur, quorum occidentale West-swale: orientale, quod Sheppeiam a continenti abscidisse videtur, East-swale dicitur, Bedæ autem Genlad, & Yenlett. Hæc ab ouibus, quarum greges numerosos pascit, Shepey .i. Ouium insula a maioribus nostris dicta, frugum vbertate singulari, sed syluis indiga, XXI. miliaria in ambitu colligit. Ad littus Septentrionale Monasteriolum, Minster nunc vocant, habuit a Sexburga Ercomberti Cantiani regis vxore anno 1000. constructum, sub quo nuper Brabantus quidam e saxis littore repertis bitumen & calcanthum fornacibus excoquere coepit. Castellum ad Occasum prætendit elegantissimum & munitissimum, quod Rex Edwardus Tertius posuit, ut ipse scribit, 'situ amœno, ad terrorem hostium, & solatium populi,' cui Burgum adiunxit, & in honorem Philippæ Hannoniæ Reginæ Queenborrough, i. Reginæ Burgum, appellauit. Cui nunc Constabularius præest D. Edwardus Hobeius mihi obseruandus, qui illustre ingenium eruditus studiis inprimis excoluit. Ad Ortum Shurland sedet, olim Cheineiorum, nunc Philippi Herberti filii secundogeniti Henrici Comitis Penbrochiæ, quem vno eodemque die Baronem Herbert de Shurland, & Montis-Gomerici Comitem Rex Iacobus 1. creauit.

Shepey.

<818>

Minster.

Queenbor=
rough

<819>

Shurland.

Milton.

<292>

Sittingborn.
Tonge.

Familia de Ba=
dilsmer.

habuit a Sexburga Ercomberti Cantiani regis vxore anno 1000. constructum, sub quo nuper Brabantus quidam e saxis littore repertis bitumen & calcanthum fornacibus excoquere coepit. Castellum ad Occasum prætendit elegantissimum & munitissimum, quod Rex Edwardus Tertius posuit, ut ipse scribit, 'situ amœno, ad terrorem hostium, & solatium populi,' cui Burgum adiunxit, & in honorem Philippæ Hannoniæ Reginæ Queenborrough, i. Reginæ Burgum, appellauit. Cui nunc Constabularius præest D. Edwardus Hobeius mihi obseruandus, qui illustre ingenium eruditus studiis inprimis excoluit. Ad Ortum Shurland sedet, olim Cheineiorum, nunc Philippi Herberti filii secundogeniti Henrici Comitis Penbrochiæ, quem vno eodemque die Baronem Herbert de Shurland, & Montis-Gomerici Comitem Rex Iacobus 1. creauit. Pertinet hæc insula ad Centuriam de Midleton, a Midleton opido denominatam, quod nunc Milton. Villa olim hæc regia, & longe maioris quam hodie famæ, etsi Hastingus Danicus pyrata ut officeret, castrum in proximo an. dcccxciii. firmauerit. Sittingburne diuersoriis refertum, & Tonge castrum reliquiae in vicinia cernuntur, quæ sedes fuit antiqua Guncellini de Badilsmer, viri magnæ nobilitatis, cuius filius Bartholomæus Guncellinum genuit, qui ex hærede Radulphi Fitz Bernard, Domini de Kingsdowne, Bartholomæum procreauit illum seditiosum, de quo dixi, qui ex Margareta Clara suscepit Ægidium sine sobole demortuum, Margeriam Guilielmi Roos de Hamlak, Matildem Ioannis Ver Comitis Oxoniæ, Elizabetham Guil. Bohun Comitis Northantoniæ, posteaque Edmundi de Mortuomari, & Margaretam Ioannis Tiptoft coniuges, a quibus principum & procerum pulcherrima fuit propagatio.

Feuersham inde vidimus situ percommodo, vberima enim huius regionis pars circumiacet, & sinum ad res inuehendas & euehendas habet opportunum, vnde inter vicina opida hodie inprimis floret. Olim etiam floruisse videtur, cum hic prudentum regni conuentum egerit Rex Æthelstanus, legesque condiderit anno reparatæ Salutis dcccciii. Stephanusque ille qui regnum Angliæ sibi usurpauit, Cluniacensibus monasterium posuerit, in quo ipse, vxor Matildis, & Eustachius filius fuere contumelati. Iuxta, ut alibi per hunc agrum, hinc inde putei magnæ profunditatis reperiuntur, qui ore angusto, sed in ferius capaci spatio, distinctas habent quasi cameras, cum suis e creta columnis. De his variæ feruntur opiniones. Ego autem nihil quod opiner, habeo, nisi putei illi fuerint, e

quibus cretam albam ad stercorandos agros effoderunt olim Britanni, vt docet Plinius. 'In centenos enim,' vt inquit ille, 'pedes puteos egerunt ore angustatos, sed intus spatiantes,' cuiusmodi hi ipsi sunt quos dicimus; nec alibi sane quam in cretaceo solo inueniuntur. Nisi quis existimet, quod Anglo-Saxones in eundem vsu, in quem Germani, a quibus orti sunt, eiusmodi specus defoderunt. Solebant enim illi, vt author est Tacitus, 'subter-raneos specus aperire, eosque insuper multo fimo onerare, suffugium hyemi & receptaculum frugibus, quia rigorem frigorum eiusmodi locis molliunt: & si quando hostis aduenit, aperta populatur; Abdita autem & defossa aut ignorantur, aut eo ipso fallunt quod quærenda sunt.'

Inde aperto littore, quod cochleis & ostreis fœcundum, ostreorumque frequens viua-riis, Reculuer cernitur, Saxonice, Reaculf, sed Romanis olim & Britannis Regulbium, vt Notitiarum libro vocatur, qui Tribunum cohortis Primæ Vetasiorum in excubiis hic sub littoris Saxonici Comite (sic enim tunc temporis Maritima hoc tractu ora ꝑ vocaba-batur) egisse memorat; & hanc sane suam antiquitatem effossis Imperatorum Romano-

237

rum testatur Æthelbertus Rex Cantii cum Cantuariam Monacho Augustino concessisset, in hac sibi palatium extruxit, Basso Saxo monasterio ornauit, e quo Brightwaldus octauus Cantuariensis ecclesiæ Archiepiscopus euocatus erat. Hinc Raculf-minster etiam a monasterio dictum fuit, cum Edredus Edmundi senioris frater ecclesiæ Christi Cantuariæ donaret. Hodie vero nihil aliud est, quam viculus rusticus, & si quid nominis habet, ex monasterio illo habet, cuius sacræ turre Pyramidales vsui sunt nauigantibus, ad tæniæ quasdam, & breuia in Tamisis ostio euitanda. Vt enim canit ille in Philipeide:

Cernit oloriferum Tamisim sua Doridi amaræ
Flumina miscentem.

Nunc ad Tanet insulam deuenimus, quam tenui intercurrente alueo, a continente disternat Stoure fl. Bedæ Wantsum, qui duobus in syluestri regione, quam The Weald vocant, disparatis fluuiolis coalescens, quam primum solidus fertur, Ashford & Wy, emporiola nota inuisit. Quorum vtrumque sua habuit sacerdotum Collegia, hoc a Ioanne Kemp Archiepiscopo Cantuariensi, qui hic natus; illud a R. Foggo Equite aurato constructum, & Wie etiam suum fontem habuit: in quem mirificam gratiam precibus cuiusdam Normanni Monachi infudit Deus, si credamus Rogero de Houeden, quem adeas si admiranda te delectant. Inde Chilham, siue vt alii vocant Iulham, vbi castrum antiqui rudetum est, quod Fulbertus quidam de Douer, construxisse memoratur, cuius stirps mascula cito cessit in fœmina hærede, quam in matrimonium cum hoc castro & latifundiis accepit Richardus Regis Ioannis filius naturalis, illique natæ duæ filiæ, Lora vxor Guilielmi Marmion, & Isabella vxor Daudis de Strathbolgy Comitissæ Atholiæ in Scotia, materque illius Ioannis Comitissæ Atholiæ qui maiestatis sæpius læsæ damnatus, tandem, vt tanto esset conspectior quanto genere nobilior, patibulo quinquaginta pedum alto Londini suspensus, semiuiuus capite truncatus, corporisque truncus immani nimis & raro apud nos supplicii genere in ignem proiectus. Bonis autem in fiscum redactis, Rex Edwardus Primus hoc castrum cum Centuria de Felebergh Bartholomæo de Badilsmer munifice donauit, qui ab iisdem statim ob prodicionem, vt modo memini, itidem excidit.

Constans fama apud incolas est Iulium Cæsarem in secunda contra Britanos expeditione hic castrametatum fuisse, & inde Iulham, id est, Iulii statio, vel domus dictum: & ab illis, nisi me fallo, facit ipsa veritas. Prodit enim Cæsar ipse, cum noctu a littore XII. millia pass. confecisset, ad flumen primum cum Britannis conflixisse, ibique cum eos in syluas coniecisset, castra muniuisse: vbi crebris arboribus succisis locum egregie natura, & opera munitum habuerunt Britanni. Hic enim locus XII. a littore mill. exacte abest, nec aliud est interpositum flumen, vt necesse fuerit, ad hunc castris primis peruenisse: in quibus decem etiam dies suos continuit, dum classem tempestate afflictam reficeret, & subduceret. Sub hoc opido, tumulus viridanti cespite vestitus ostenditur, quod conditum multis retro ante seculis Iul-laber ferunt, quem alii Gigantem, alii veneficam fuisse somniant. Ego vero, cum aliquid antiquæ memoriæ eo nomine latere existimarim, propemodum mihi persuaserim Laberium Durum Tribunum militum hic situm, quem interfecerunt Britanni in itinere ab illis, quæ dixi, castris, & inde Iul-laber tumulum dictum fuisse.

Quinto hinc milliari Stour diuiso alueo, Durouernum primariam huius prouinciæ urbem rapide alluit, nomenque fecit. Durwhern enim fluuium rapidum Britannis denotat. Ptolemæo pro Durouerno Daruernum, Bedæ & aliis Dorobernia, Saxonibus Cant-wara-byrig, id est, Vrbs populi Cantiani, Ninnio, & Britannis Caer Kent,

Canterbury. id est, Vrbs Cantii, nobis Canterbury, Latinis Cantuaria dicitur. Vrbs peruetusta, Romanoque sæculo proculdubio illustris, 'Nec adeo magna' (vt inquit Malmesburiensis) 'nec exiliter parua, quæ & terræ positione, soli affinis maxima vbertate, & integro murorum ambitu, fluuu is irrigua, nemorum opportunitate incluta, præterea maris vicinitate piscium fœcunda.' Heptarchia Saxonica efflorescente, regni Cantii caput, & sedes Regia fuit, donec Ethelbertus Rex eam cum iure Regali Augustino & Archiepiscopo gentis Anglorum consecrato elargitus esset, qui habitationem sibi & successoribus hic constituit. Et licet Metropolitana dignitas cum pallii honore (indumentum erat illud Pontificum superhumeralis ex pelle ouilla, in memoriam eius qui oberrantem ouem quæsiuit, & in-

238

Pallium quid. uentam humeris superposuit, crucibus intextum, & de corpore S. Petri desumptum) Londini a S. Gregorio PP. fuerit constituta; in Augustini tamen honorem huc fuit translata. Scribit enim ad Leonem PP. Kenulfus Rex Merciorum. 'Quia beatæ memoriæ Augustinus qui verbum Dei Anglorum genti ministrabat, & gloriosissime præfuit Ecclesiis Saxoniarum in ciuitate Dorobernia diem obiit, & corpus illius in Basilica B. Petri Apostolorum principis (quam successor eius Laurentius sacrauit) conditum fuisset: visum est cunctis gentis nostræ sapientibus, quatenus illi ciuitati Metropolitanus honor haberetur, ubi eius corpus tumulo conditum est qui his partibus fidei ueritatem inseruit.' Verum siue Archiepiscopalis sedes & Metropolitana dignitas gentis nostræ sapientum autoritate .i. Parlamentaria, vt ad nostra tempora loquar; siue ab ipso Augustino dum in uiuis erat vt alii uolunt, hic instituta fuerit; Pontifices Romani qui proxime sequuti sunt, ita stabilierunt, vt ab ea diuelli nefas anathemate et gehennali igne luendum decreuerint. Iam inde incredibile est, quantum floruit cum Archiepiscopali dignitate, tum meliorum literarum schola, quam Theodorodorus septimus Archiepiscopus instituit: & quamuis Danico bello conquesto, & fortuitis incendiis magna ex parte subinde absumpta, semper tamen renata est splendidior.

A Normannorum ingressu, cum †Guilielmus Rufus, vt est in Tabulariis Monasterii S. Augustini, 'Dedisset ciuitatem Cantuariæ Episcopis ex solido, quam tenuissent antea ex beneficium,' religionis nomine, & præsulum benignitate, inprimis Simonis Sudbury, qui mœnia restaurauit, non modo respirauit, sed eo splendoris, quasi subito accreuit, vt priorum ædificiorum pulchritudine omnes Britanniarum ciuitates adæquarit, sacrarum uero ædium magnifica structura, & frequentia celeberrimas quasque superarit. Inter has duæ maxime enituerunt, Christi scilicet, & S. Augustini, utrumque Benedictinis monachis oppletum: Christi autem templum in medio quasi vrbs sinu, tanta maiestate se in cœlum erigit, vt procul etiam intuentibus religionem incutiat. Augustinus ille, quem dixi, hoc Romanorum fidelium opere, vt author est Beda, antiquitus factum recuperauit, Christo sacrauit, sedesque successoribus fuit, in qua septuaginta tres iam perpetua serie sederunt Archiepiscopi. E quibus Lanfrancus & Guilielmus Corboyl superiores Ecclesiæ partem, & qui successerunt, inferiorem, quum illud uetustius opus incendio concidisset, ad eam qua nunc cernitur amplitudinem maximis impensis, quas superioribus sæculis pia superstitione suggestiit, perduxerunt. Plurimi enim summi, medii, infimi confertim huc cum amplissimis donariis, ad uisendum Thomæ Beckett Archiepiscopi tumulum confluxerunt. Qui ab aulicis hoc in templo trucidatus, quod se Regi pro libertate Ecclesiastica asserenda peruiuaci animo opposuisset, a Pontifice Romano in Martyrum album relatus, diuino honore colebatur, tantisque muneribus onerabatur, vt thesauri, in qua conditæ fuerunt eius reliquæ, uilissima pars aurum fuerit. 'Gemmis raris,' vt inquit, qui uidit, Erasmus, '& prægrandibus colucebant, nitebant, fulgurabant omnia, templum etiam uniuersum plusquam Regiis opibus undique luxuriauit,' Christique nomine quasi obliterato, in S. Thomæ transiit. Nec vlla alia re æque celebratum fuit, ac huius memoria, ac sepultura; licet aliorum sepulchra non immerito iactet, inprimis Edwardi Principis Walliæ cognomento Nigri, herois bellica laude ad miraculum præstantissimi, & Henrici III. Regis Angliæ potentissimi. Verum tot seculis accumulatas opes Henricus Octauus dispersit, monachosque dispulit: pro quibus in hoc Christi templo Decanus, Archidiaconus, Præbendarii XII. & uerbi diuini sex præcones sunt collocati, qui uerbum diuinum in circumuicinis locis disseminent. Alterum templum huius pertinacissime æmulum sub vrbe ad Orientem sedem habuit, S. Augustini nomine notum, quod ipse Augustinus, & Ethelbertus Rex eius hortatu Petro & Paulo posuerunt, vt sepultura esset, tum Regum Cantii, tum etiam Archiepiscoporum, (nondum enim in vrbe sepelire fas erat) maximisque opibus locupletarunt, concessa Abbati officina monetaria, cum iure pecuniarum signandi. Nunc uero maxima parte suis ruinis inuoluta, reliqua in ædes regias conuersa, quantum fuerit intuentibus facile ostendit. Ipse uero Augustinus in eisdem porticu sepultus erat, cum hoc ut testatur Thomas Spot, epitaphio:

S. Augustines,
vulgo S. Austens.

Inclytus Anglorum præsul pius, & decus altum,
Hic Augustinus requiescit corpore sanctus.

239

Sed vt Beda habet, cui potior habenda fides, cum hac inscriptione multo vetustiori.

Hic requiescit dominus Augustinus Dorouernensis Archiepiscopus primus, qui olim huc a beato Gregorio Romane urbis pontifice directus, et a Deo operatione miraculorum suffultus, et Ethelberthum regem ac gentem illius ab idolorum cultu ad fidem Christi perduxit, et completis in pace diebus officii sui defunctus est septimo Kalendas lunias, eodem Rege regnante.

Vna cum illo in eadem porticu consepulti erant sex proxime succedentes Archiepiscopi, & in horum septem memoriam, scilicet Augustini, Laurentii Melliti, Iusti, Honorii Deus-dedit, & Theodosii, hi uersiculi marmore insculpti.

Septem sunt Angli Primates et Protopatres,
Septem Rectores, septem coeloque Triones;
Septem cisternae vitae, septemque lucernae;
Et septem palmae regni, septemque coronae,
Septem sunt stellae, quas haec tenet iarca cellae.

Nihil attinet de altera ecclesia, huic vicina, dicere, quæ, vt habet Beda, a Romanis condita fuit, Martinoque sacrata, in qua ante Augustini aduentum, Bertha e regia Francorum stirpe Ethelberti vxor Christianis sacris interesse solebat. De castro ad Australe vrbis latius fatiscientibus nunc propugnaculis, cum non admodum magnam præ se ferat antiquitatem, nihil occurrit, quod memoria dignum, nisi a Normannis constructum fuisse. De sedis Cantuariensis dignitate, quæ olim longe amplissima fuit, nihil dicam, nisi vt superioribus seculis in Romana hierarchia, Archiepiscopi Cantuarienses totius Britanniae Primates, Pontificis Romani Legati, & veluti alterius, vt dixit Vrbanus II. orbis Patriarchæ erant: sic cum fugata esset Pontificum autoritas, in Synodo, an. mdxxxiii. decretum, vt illo titulo deposito, Primate, & Metropolitanus totius Angliæ dicerentur. Quam dignitatem nuper gessit Reuerendissimus in Christo pater, D. Ioannes Whitgift, qui & Deo vitam, & Ecclesiae operam omnem sancte consecrauit, maximoque bonorum omnium desiderio anno MDCIII. in Christo obdormiuit, cui Richardus Bancroft, vir in Rep. Ecclesiastica constabilienda præstanti & animi, & consilii magnitudine datus successor. Cæterum Polus Borealis supra Cantuariæ Horizontem grad. LI. scrup. XVI. attollitur, Longitudo vero xxiiii. partib. LI. scrup. definitur.

<296>

Primas & Metropolitanus totius Angliæ.

Hackington.

S. Stephens.

Fordich.

Thanatos insula. Tenet.

Quæ Anglice An Hide & ex 100. consistit, vt creditur, Anglicis, Latine olim Familia, Mansa, & Mansa dicta fuit.

Stour iam aquis in vnum collectis Hackington præterfluit, vbi Lora Leicestriæ Comitissa fœmina eo seculo longe honoratissima, animo a voluptatibus auocato se ab omni hominum cœtu reclusit, vt Deo soli vacaret. Quo tempore Baldwinus Cantuariensis Archiepiscopus Ecclesiam hic S. Stephano, et Thomæ Cantuariensi inchoauit; sed Romani Pontificis autoritate prohibitus ne fraudi ea esset monachis Cantuariensibus, destitit. Loco tamen iam inde Stephani nomen permansit, Rogerusque Manwood Eques auratus Baro Scaccarii primarius, in municipali nostro iure, doctrinæ exquisitæ, cuius benificentiae egeni incolæ multum debent, maximo nuper fuit ornamento: nec minori hodie est filius eius Petrus Manwood Eques Balnei auratus, de quo cum virtutem colat, literas, literatosque foueat, non possum non nisi cum honore meminisse. Deinde Stour per Fordich (qui paruus Burgus de Forewich Guilielmi Primi libro dicitur) laudatis trutis insignem ad Sturemouth fertur; vbi duo itinera dispensatis aquis sibi aperit, nomenque relinquens, Wantsome dicitur, Thanaton ab Occasu & Austro insulam faciens, ab aliis enim partibus Oceano abluitur. Hanc Solinus Athanaton, & Thanaton aliis exemplaribus dixit, Britanni Inis Ruhin (teste Asserio) fortasse pro Rhotupin ab vrbe Rhotupina adiacente, Saxones Tanet, & Tanetland, nos Tenet. Terra tota est ex creta albicanti, frumentariis campis fœlix, & vberi gleba, octo mill. in longitudine extenditur, quatuor in latitudine patet, familiarum olim sexcentarum habebatur, pro quo in Beda mendose legitur milliarium sexcentorum. Quod vero Solinus nullo serpi angue

240

hanc insulam scribat, & terram hinc asportatam angues necare, iam falsum deprehenditur. Proinde Etymologia illa <apo tou thanatou>. i. a serpentium morte deducta plane labascit. Hic primam excensionem fecerunt Saxones, hic sedes permittente Vortigerno primum fixerunt, hic illis perfugium, hic magnas eorum strages ædidit Guortimerus Britannus,

Lapis tituli. cum ad Lapidem tituli (sic in Ninnio vocatur locus, quem Stonar eo fere sensu nunc vocamus, & portum fuisse constat,) præcipitata fuga in myoparones coegerit. Quo etiam loco (inquit ille) iussit se sepeliri, ad compescendos, vt existimauit, Saxonum furores; quemadmodum Scipio Africanus, qui ita sibi sepulchrum statui præcepit, vt Africam prospectaret, ratus vel hoc etiam Pœnis terrori futurum. Hic etiam ad Wippedfleete, a Wippedo Saxone interfecto sic dictum, Britannos multis præliis attritos fudit Hengistus. Augustinus multis post annis in hanc terram conscendit, cuius benedictioni regionis fœcunditatem ascripserunt sacerdotes creduli, Monachusque Gotcelinus exclamauit. 'Fœlix tellus Tanet, sua fœcunditate, sed fœlicissima tot deiferorum aduenarum, imo tot ciuium supernorum hospitio.' Egbertus Rex Cantianorum tertius ut Domneuum matronam quam iniuriis prius onerauerat deliniret, latifundium hic concessit, in quo illa LXX. virginibus velatis monasterium posuit, cui præfuit Mildreda ob sanctitatem inter sanctas relata, & Reges Cantii plurima contulerunt, sed inprimis Withredus, qui, ut morem eius æui adnotem ex ipsius Donatione, 'ad cumulum confirmationis cespitem terræ;' quam donauit, 'super sanctum altare posuit.' Postea Danorum direptionibus ita hæc insula afflicta, qui hoc Domneuæ monasterium, omni crudelitatis genere polluerunt, vt non ante pacata Normannici imperii tempora refluuerit.

Diligentia singularis. Neque hic tacendum quod in singularem incolarum laudem cedit, præcipue eorum qui iuxta stationes Margat, Ramsgate, & Brodstear habitant. Sunt enim viri summe industrii, qui quasi Amphibii, & mari & terra victum quærunt, cum vtroque elemento rationem habent, & pisces & aratores, & Agricolæ & nautæ; quique stium in agro sulcando, iidem clauum in nauigando tenent. Pro ratione anni retia nectunt * asellos, haleces, scombros, &c. piscantur, nauigant, merces exportant: iidem agros stercorant, arant, seminant, occant, fruges demetunt, & reconduunt, in vtrumque instructissimi, sic illis labor in orbem agitur. Cumque subinde hic naufragia fiant, obiacent enim littori formidolosa illa nauigantibus vada, & * puluini, quæ The Godwyn, (de quo suo loco in insulis) The Brakes, The four foote, The Whitdick, &c. vocitant; strenuam in mercibus recuperandis operam nauare solent.

* Codde. Ad Australe Wantsumi ostium, quod alueum mutasse credunt, e regione insulæ apposita fuit vrbs, quæ Ptolemæo Rhutupia, Tacito Portus Trutulensis, pro Rhutupensis, si B. Rhenanus nos non fallit, Antonino Rhutupis Portus, Ammiانو Rhutupia Statio, Orosio Rhutubi portus & ciuitas, Anglis, teste Beda, Reptacester, aliis Ruptimuth, Alfredo Beuerlacensi Richberge, hodie Richborow; sic in vno eodemque nomine variando lusit tempus. Vnde hoc enatum nomen in confesso non est. Veruntamen cum a sabulo loca huic vicina Sandwich, & Sandibay denominentur: & Rhyd Tufith Britannice vadum sabulosum sonet, inde, si auderem, libenter deducerem. In deiectu collis vrbs exporrecta videbatur. Arx æditiori loco Oceano imminet, qui ita iam arenis inuectis excluditur, vt a milliari vix eam salutet. Longe celeberrima fuit, Romanis rerum potentibus. Hinc e Britannia in continentem frequens traiectus, ad hanc Romanæ classes appulerunt; Lupicinus a Constantio in Britanniam ad coercendas Scotorum & Pictorum excursions missus, Herulos, Batauos, & Mæsicorum numeros hic exposuit. Theodosius etiam Theodosii Augusti pater (cui statuas, testante Symmacho, equestres ob Britanniam pacatam Senatorius ordo decreuit) cum suis Herculis, Iouis, Victoribus, Fidentibus (hæ Romanorum erant cohortes) huc delatus est. Postea cum Saxones piratæ sublatis commerciis maria bello intercluderent, & littora nostra crebris latrociniiis infestarent, Legio Secunda Augusta, quæ a Claudio Imperatore e Germania traducta, plurimos annos Iscæ Silurum in Wallia consederat, huc translata, Præpositumque suum hic habuit sub Comite littoris Saxonici. Quam præposituram fortasse gessit Clemens ille Maximus, qui in Britannia a militibus Imperator salutatus Gratianum interfecit, & postea Aquileiæ a Theodosio occisus. Hunc enim Ausonius Rhutupinum latronem in his versiculis de Aquileia dixit.

* Shelues.

Rhutupia. Portus Trutulensis. Richborow.

<298>

Clemens Maximus.

241

Maximus armigeri quondam sub nomine lixæ.
Fœlix quæ tanti spectatrix læta triumpho,
Fudisti Ausonio Rhutupinum Marte latronem.

Alium etiam Rhutupiarum præsidem Flauium Sanctum obliuione in Parentalibus suis vindicauit idem Poeta, de quo cecinit.

Sunt qui Rhutupini nomine Britanniam omnem intelligi volunt.

Militiam nullo qui turbine sedulus egit,
Præsidi lætatus quo Rhutupinus ager.

Claudium Contentum patrum, qui ingentem pecuniam fœnori inter Britannos oc-

cupatam, & vsuris multiplicatam extraneis morte præreptus liquit, hic etiam situm fune= bri carmine prosequitur Ausonius.

Et patruos Elegeia meos reminiscere cantus,
Contentum, tellus quem Rhutupina tegit.

Post Saxonum aduentum floruerunt etiam Rhutupiæ. Ethelberti enim Cantii regis Regiam fuisse memorant scriptores, Bedaque ciuitatis nomine insigniuit. Iam inde defi= cere cœpit, nec nomen vsquam legitur, nisi apud Alfredum Beuerlacensem, qui Alche= rum cum Cantuaritis Danos spoliis implicatos, ad hanc, Richberge tunc dictam, fudisse prodidit. Nunc vero vestigia eius omnia tempus erasit, vtque nos doceat Vrbium perin= de ac hominum fata volui, hodie aruum est, in quo platearum tractus cum seges succeue= rit, se intersecantes videas. (Vbicunque enim plateæ duxerunt, rarescit seges) quas vul= go S. Augustines crosse appellant. Et semiruta quædam arcis mœnia solum supersunt, quadrata forma sabulo tenacissimo materiata. <Akropolin> esse diiudices, situ adeo sublimi vliginosam in Taneto planitiem despicit, quam Oceanus se paulatim subtrahendo desti= tuit. Vrbis autem area nunc aratro proscissa nummos Romanorum aureos, & argenteos, vetustatis sua indicia sæpenumero egerit, prolemque suam paulo inferius ostendit, quam a sabulo Sondwyc dixerunt Saxones, nos vero Sandwich. Hoc e quinque portuum, quos vocant, numero, ad Septentriones & occasum mœnibus, alias aggere, flumine, & fossa munitum, olim Danorum furores, superiori ætate Gallorum ignes sensit; nunc incolis satis frequens, licet portus ex aggestis arenis, & magna naue oneraria Pauli IIII. PP. in ipso alueo depressa, non sit nauigiis maioribus ferendis iusta altitudine.

<299>

Sandwich.

Cantium Prom.
The Foreland.

Rhutupina o= strea.

Sub Rhutupiis Ptolemæus Cantium promontorium, quasi extremum huius an= guli verticem statuit, quod corrupte nonnullis exemplaribus Nucantium, & Acan= tium, & Diodoro Carion, nobis hodie The Foreland dicitur. Verum omnia hæc circumquaque littora a Rhutupiis Rhutupina littora Poetis dicuntur. Hinc Iuuenalis cum Curtium Montanum delicatulum ventriconem satyrice insectaretur, de ostreis ex hoc lit= tore Romam delatis:

nulli maior fuit vsus edendi
Tempestate mea, Circæis nata forent, an
Lucrinum ad saxum, Rhutupinoue ædita fundo
Ostrea, callebat primo deprendere morsu.

Et Lucanus.

Aut vaga cum Thetis, Rhutupinaque littora feruent.

<301>
Sandon.
Deale.
Vbi Cæsar
appulit.

A Cantio promontorio in Austrum per aliquot milliaria crebro colle exurgens pro= currit littus. Sed cum ad Sandon, id est, tumulus arenarius, & Deale castra vicina perue= nerit, quæ Henricus VIII. patrum memoria extruxit, subsidet, planumque & apertum mari obiacet. Ad Deale illud, Dole Ninnius vocat (& vere opinor, iacentem enim & a= pertam ad mare, vel flumen, planitiem sic hodie appellant Britanni nostri) Cæsarem ap= pulisse constans est fama, Ninniusque suffragatur, qui barbare scripsit: 'Cæsar ad Dole bel= lum pugnavit.' Tabula item pensilis in Castro Douerensi, hoc idem comprobauit, fidem= que etiam facit Cæsar ipse, qui aperto & plano littore se terram conscendisse, difficilique pugna a Britannis exceptum memorat. Vnde Lelandus noster in Cygnea Cantione:

lactat Dela nouas celebris arces,
Notus Cæsareis locus trophæis.

Cæsar in
Britanniam
ingressus.
Vide pag. 26.
27. &c.

Ille enim (a cursu paulatim digredi liceat) omnibus, vt e Seneca habet Pomponius Sabinus, terra marique captis, Oceanum respexit, quasi orbis Romanus non sufficeret, alium cogitauit, classeque mille nauium (sic ex Cota scribit Athenæus) vel vindictæ de

242

<302>
In libro de ar= te & natura.

Britannis, qui Gallis opem tulerunt, sumendæ, vt Strabo; vel Britannicarum Margari= tarum spe, vt Suetonius; vel gloriæ cupiditate, vt alii tradunt, inflammatus, anno ante Christum natum LIIII. & rursus sequenti, Britanniam ingressus est. Cum antea, non vt fabulatur Rogerus Bachonus, speculis in ora Gallica dispositis, & arte Catoptrica quæ latentes species multiplicat; sed per speculatores, vt ipse, & Suetonius contestantur, portus & nauigationem explorasset. Quid hic gesserit ipse satis fuse literis mandauit, & nos supra summatim ex illo, & ex amissis Suetonii monumentis de Scæua, cuius vir= tus in bello ciuili Dyrrachii clarissime emicuit, quemque natione Britannum fuisse Poeta noster Iosephus in Antiocheide minus vere prodidit, in his de Britannia versibus:

Hinc & Scæua satus, pars non obscura tumultus
Ciuilis, Magnum solus qui mole soluta
Obsedit, meliorque stetit pro Cæsare murus.

Verum Cæsaris in nostra regione gesta ex ipso & ex illis quæ supra scripta, petas. Nec enim ego grandæuum illum Britannum conueni, quem M. Aper (apud Quintilianum) in hac insula vidit, qui se fatebatur pugnæ interfuisse qua Cæsarem arma inferentem arceret littoribus aggressi sunt, nec historiam iam conscribere in animo habeo.

<303>

Naualia Cæsaris castra.
Darellus.

Sempetra.

Dubris.
Douer.

Huic littori satis longo tractu cumuli, velut aggeres, subsunt, quos ventus conuerrisse nonnulli suspicantur: ego vero munitionem, seu potius naualia castra esse existimo, quæ Cæsar decem dierum labore, ne nocturnis temporibus intermissis, confecit, vt in ea afflictae naues subduceret, contraque tempestates, & Britannos, qui eas frustra sunt adorti, tutaretur. Audio enim ab accolis hunc aggerem Romesworke vocari, quasi Romanorum opus. Eoque magis credo Cæsarem hic appulisse, quod prodat septimo hinc milliari (sic enim legit antiquus liber a Fl. Constantino viro consulari emendatus) mare ita montibus angustis contineri vt telum ex locis superioribus in littus adigi possit. Certe statim a Deale cautium eminentia (moles magnificas vocat Cicero) Crythmo quam Sempetram vocant, fœcunda per septem plus minus milliaria ad Douer procurrit, vbi dehiscit, & se transeuntibus aperit: eaque loci est natura, vt perinde ac Cæsar scribit, inter duos colles mare admiserit, & continuerit. Hoc cautium diuortio Dubris interiacet, cuius Antoninus meminit, Saxones Dofra dixerunt, nos Douer. Iuditum nomen scribit ex Eadmero Darellus, quia clausus & impeditus erat. 'Cum enim,' inquit, 'antiquis temporibus valde eo loco portuosum mare se diffunderet, necessitate vrgente, sic effectum est, vt arctioribus quibusdam limitibus constringerent.' Guilielmus Lambardus tamen nominis ratio nem a Dufyrtha, quod Britannice locum accliuem significat probabilius deduxit. Opidum quod inter cautes considet (vbi portus ipse olim fuit, quum mare se insinuaret, vt ex anchoris & nauium tabulis erutis colligitur) portus opportunitate, quæ iam fere nulla est, & in Galliam traiectu magis celebratur, quam sua vel elegantia, vel frequentia. Celeberrimus enim est traiectus, cautumque olim lege erat vt nemo qui religionis gratia peregre proficisceretur, alibi traiceret; & ex quinque portibus censetur, olimque tenebatur XXI. naues ad bellum apparare eadem forma qua Hastings, de qua diximus. Qua Oceanum iam glarea interiecta exclusum spectat, mœnibus præcinctum fuit, quorum pars aliqua superest. Templum habuit Martino sacrum a Whitredo Cantii rege fundatum, Militum etiam Templariorum ædes, quæ iam disparuerunt, sedemque præbet Archiepiscopi Cantuariensis suffraganeo, qui cum grauioribus Archiepiscopus negotiis distinctus sit, quæ ordinis sunt, non quæ iurisdictionis episcopalis gerit. E colle, seu potius rupe, quæ a dextra, omni fere ex parte confragosa in admirandam altitudinem qua mare despectat, exurgit, castellum amplissimum instar vrbeclæ, opere munitissimum, & turribus frequentissimum subiecto freto quodammodo minatur: 'Clauem & repagulum Angliæ' vocat Matthæus Parisiensis. Vulgus hominum a Iulio Cæsare constructum somniat: a Romanis primo conditum ex lateribus illis Britannicis in sacello, quibus illi vsi sunt in suis substructionibus, arbitrator. Præcipitante in occasum Romano Imperio, Numerum Tungricanorum, qui inter auxilia Palatina numerabantur, hic in præsidio collocarunt, e quorum apparatu sagittæ illæ magnæ videntur, e basiliscis solitæ emitti, quas pro miraculis iam ostendunt castellani. Ab Anglo-Saxonum ingressu, vsque ad confectum eorum

<304>

Suffraganeus Archiepiscopi Cantuariensis.

Numerus Tungricanorum.

243

imperium, nusquam, ne verbum de hoc castro, siue opido legerim, nisi in schidis quibusdam ex tabula pensili hic asseruata, descriptis, quæ memorant Cæsarem, cum ad Deale appulisset, & ad Baramdowne, (hæc equitabilis est planicies adiacens, & explicandis copiis opportuna) Britannos profligasset, Douerense castrum inchoasse, Aruiragum postea contra Romanos munuisse, portumque obturasse. Arthurum deinde, & eius milites, nescio quos rebelles hic deuicisse. Cæterum paulo ante Normannorum aduentum, vnicum Angliæ munimentum habitum fuit, eoque nomine, Guilielmus Normannus Haroldum iureiurando adegit, vt hoc castrum cum puteo sibi in manus traderet, cum regnum affectaret: compositisque Londini rebus nihil prius habuit, quam hoc communitate, nobilibusque latifundia in Cantio assignare, ea lege, vt præsto cum certa militum manu ad hoc propugnandum forent, quod nunc tamen annua pecunia redimitur. Cum enim Hubertus de Burgo constitutus erat Constabularius huius castri, verbis antiqui scriptoris vtor, 'Ille perpendens quod non esset tutum pro castro quolibet mense habere novos custodes ad Wardam, procurabat per assensum Regis & omnium militum quod quilibet miles mitteret pro Warda vnus mensis decem solidos; & quod inde stipendiarentur certi homines electi & iurati, tam milites, quam pedites, ad castrum custodiendum.' Fertur Philippum Au-

Castlegard mutatum.

- gustum Galliae regem dixisse, cum Lodouicus filius res nouas in Anglia moliretur, vrbes= que quasdam cepisset: Ne in Anglia filius habet, vbi vel pedem ponat, si Douerense castrum in potestatem non redegerit; vtique quod totius Angliae munitissimum & Gallo opportunissimum. In altera rupe, quae est e regione, & aequato fere iugo, aedificii cuiusdam perantiqui supersunt reliquiae. Quidam, nescio qua persuasus ratione, Caesaris Aram dixit: sed **Ioannes** Twinus Cantuariensis, senex eruditus qui adolescens illud magna ex parte integrum vidit, Pharum fuisse mihi affirmavit, quae nocturno nauium cursui ignes ostenderet. Cuiusmodi altera ex aduerso ad Bononiam Galliae extitit a Romanis posita, & longo post tempore a Carolo Magno restaurata, (vt testatur Regino, apud quem corrupte Phanum pro Pharum legitur) quae nunc Gallis Tour d' Order, Anglis The old man of Bullen, vocatur. Sub hac rupe patrum memoria Henricus Octauus Rex potentissimus maximo labore, & infinitis impensis, defixis in ipso mari trabibus ingentibus, stilis colligatis, arborum, saxorumque cumulo iniecto molem, seu pilam, nos The Peere vocamus, eduxit, qua tutius naues subsisterent. Sed optimi regis studium inhorrescentis Oceani furor cito deuicit, operisque compages trebris fluctibus verberata se laxauit. Ad quam instaurandam Regina Elizabetha magnam pecuniae vim erogauit, & Parlamentaria auctoritas singulis Anglorum nauibus, quae merces exportant, & important, vectigal in septennium imposuit.
- <305> **Pharus.**
- Douer Peere. Haec ora maritima ab Europae continente freto disiungitur, vbi maria terram perdisse credunt nonnulli, Solinus Fretum Gallicum appellat, Tacitus & Ammianus Fretum Oceani, & Oceanum fretalem Gratius Poeta 'Freta Morinum dubio refluentia ponto.' Belgae Dehofden, a duobus promontoriis. Nos, The Strait of Calais. Galli Pas de Callais. Hic enim locus est, vt inquit nostri temporis Poeta,
- gemini qua ianua ponti
Faucibus angustis, lateque frementibus vndis
Gallorum Anglorumque vetat concurrere terras.
- 'Horrendis,' vt vere inquit Marcellinus, 'hoc fretum attollitur aestibus, rursusque in speciem complanatur camporum; bis inter duos Lunae exortus affluens, bisque remeans.' Attollente enim se Luna ad Meridianum, & sub Horizonte in opposito iam demersa, supra modum hic intumescit Oceanus, & immensa aquarum moles tanto cum murmure in littora irruit, vt non sine causa ille dixerit 'Rhutupinaque littora feruent.' Et 'Oceanum barbaris fluctibus frementem' dixerit D. Paulinus, vbi loquitur de terra Morinorum quam 'orbis extremam' vocat.
- <300> **Epist. 2. ad Victricium.**
An Britannia continenti olim iuncta.
- Oboriatur hic disquisitio homine erudito qui ingenio & otio abundat, non indigna, an vbi hoc fretum iam Galliam & Britanniam interluit, isthmus fuerit, quae olim regiones illas coniunxit, & postea vel diluio vniuersali, vel fluctibus irruentibus, vel terrae motu dirupta aquas peruias admiserit. Equidem orbis terrarum faciem tum diluio,
- 244
- tum longo aevi vetustate, & aliis de causis fuisse variatam; vtique insulas terrae motu, vel subducentibus se aquis terris adiunctas fuisse nemo dubitet: ita etiam terrae motu, & irruentibus vndis a continenti insulas fuisse auulsas ex authoribus fide dignissimis certo est certius. Vnde Pythagoras apud Ouidium:
- Vidi ego quod quondam fuerat solidissima tellus,
Esse fretum; vidi factas ex aequore terras.
- Strabo enim ex rebus praeteritis futuras coniciens, isthmus & perfossas, & perfodendas conclusit. 'Vides,' inquit Seneca, 'totas regiones a suis sedibus reuelli, & trans mare iacere, quod in confinio fuerat; vides & vrbium fieri gentiumque discidium, cum pars naturae, concitata est de se, vel aliquod mare ingens spiritus impegit, quorum intra, vt ex toto vis, est. Quamuis enim parte saeuat, mundi tamen viribus saeuat. Sic & Hispanias a contextu Africae mare eripuit. Sic hac inundatione quam poetarum maximi celebrarunt, ab Italia Sicilia reiecta est.' Vnde Virgilius:
- Haec loca vi quondam, & vasta conuulsa ruina
(Tantum aevi longinqua valet mutare vetustas)
Dissiluisse ferunt, cum protinus vtraque tellus
Vna foret, venit medio vi pontus & vndis,
Hesperium Siculo latus abscidit, aruaque & vrbes
Littore diductas angusto interluit aestu.
- Plinius item docet Cyprum a Syria, Euboeam, a Boetia, Besbicum a Bithinia, cum partes essent Continentis, fuisse abruptas; at Britanniam ita a Continenti auulsam fuisse
- * Reiecta.

Pag. 1.

nemo veterum dixerit; innuunt tantum illi Virgillii & Claudiani versiculi cum Seruui coniectura, quos in ipso huius operis limine protulimus. Opinantur autem Dominicus Marius Niger, & Ioannes Twinus vir eruditissimus, & quisquis ille fuerit qui hos de Sicilia versus ad Britanniam distorsit.

Britannia quondam

Gallorum pars vna fuit, sed pontus & æstus

Mutauere situm, rupit confinia Nereus

Victor: & abscissos interluit æquore montes.

Cum igitur hac in parte ex certa scriptorum autoritate firmamentum sit nullum, viri eruditi similitudines in eiusmodi fretis comparando ad veritatem indagandam, hæc & huiusmodi pensiculate perpendenda proponunt.

An eadem sit vtroque in littore terræ natura. Quæ hic sane reperitur, vtrumque enim litus rupibus eminentibus eadem quasi materia, & colore qua angustissimum est consurgit, vt perruptæ videantur.

Quanta sit freti latitudo. Certe ipsæ angustiae non multo magis patent quam vel fretum Gaditanum aut Siculum: sc. XXIIII. miliaria vt primo intuenti reciprocantibus, vtrinque fluctibus insanientis Oceani terras diremptas fuisse suspiceris. Nam terræ motibus subsedis vix audeo suspicari, cum terræ-motibus hæc nostra Septentrionalis plaga admodum raris, nec illis vnquam magnis conquassetur.

Quanta sit profunditas. Vt Siculum fretum LXXX. passuum, ita hoc nostrum vix XXV.

†orgyarum profunditatem †non excedit, cum vtrinque mare sit multo profundius.

Cuiusmodi sit fundus, arenosus, grumosus, limosus, & an arenarum puluini in freto passim iaceant. Nullos autem iacere præter vnum eundemque in medio canali a nautis accepi, qui †descrescente æstu, vix tribus orgyis altus.

Postremo an aliquis in alterutro littore locus nomen habeat in antiqua lingua a disruptione, auulsione, separatione vel huiusmodi; vt Rhegium ad fretum Siculum a Græco <Rhêgnumi> .i. rumpo, nomen habet, quod eo loci vndarum impetu Sicilia ab Italia fuerit dirupta. Nullus autem mihi cogitanti occurrit, nisi Vitsan in littore Gallico nomen habere quis autemet a Gwith, quod diuertium lingua Britannica significat.

245

Qui Britanniam Galliae fuisse continentem post diluuium illud vniuersale volunt, ex lupis qui apud nos olim, vt hodie in Scotia, & Hibernia frequentes, argumentantur.

†Qui, inquiunt, in insulis esse poterant, cum cuncta quæ non erant in arca, deleta fuerunt animalia, nisi longo post tempore terra fuisset peruia, & insulæ nullæ. Beatum Augustinum exercuit hæc quæstio, ad quam ille, 'Lupi & cætera animalia possunt credi ad insulas natando transisse, sed proximas' (vt cerui quotannis e Italia in Siciliam pabuli gratia) 'Sunt autem quædam tam longe positæ a continentibus terris, vt ad eas nulla †videtur natare potuisse bestiarum. Quod si homines eas captas secum adduxerunt, a venandi studio fieri potuisse incredibile non est: quamuis iussu Dei, siue permissu, etiam opere angelorum negandum non sit potuisse transferri. Si vero e terra exortæ sunt secundum originem primam, quando dixit Deus: Producat terra animam viuam: multo clarius apparet, non tam reparandorum animalium causa quam figurandarum variarum gentium propter ecclesiae sacramentum in arca fuisse omnia genera, si in insulis quo transire non possunt, multa animalia terra produxit.' Hæc ille, nel aliquid perfectius politiusque hac in re quis proferre possit. Mihi proposuisse sufficiat, lector perpendat. Qui maxime perspiciat in hac re quid est verissimum, mihi sane & sagax & perspicax habebitur.

De Ciuit. Dei.
L. 16. c. 7.

Morini.

Itius Portus.

Ex aduerso in continente consederunt Morini, sic antiqua Celtarum lingua dicti quasi maritimi, siue maris accolæ. Eorum regio nunc Conte de Guines, & Conte de Bolois dicitur, duosque olim nominatissimos habuit locos Gessoriacum, & Itium, vnde Cæsar commodissimum e Gallia in Britanniam esse traiectionem prodidit, plurimique fuisse credunt, quod nunc Callais vocant, sed magnus ille & eruditus Hospitalius Galliae Cancellarius, rei antiquariæ peritissimus asserit Caletum minime vetustum esse, tantumque viculum fuisse, cuiusmodi Galli Burgados vocant, priusquam Philippus Comes Bononiensis, mœnibus incinxerit, non multis ante annis, quam Angli expugnauerint. Nec vsquam legas aliquos inde in Britanniam soluisse ante illa tempora. Itium igitur alibi quærendum existimo, ad Vitsan, scil. inferius prope Blacnes quod nos Whitsan vocamus, verbo ab Itio non abludente. Huc enim omnes ex hac insula transmisisse, & inde eadem soluisse, ex historiis nostris obseruamus, vsque adeo vt Ludouicus Iunior Rex Franciæ, cum Thomam Cantuariensem religiosa peregrinatione inuiseret, apud Sanctum Iulium demississime duplex intercessit, vt inter Vitsan, & Douer nemo naufragio periret: quasi hinc inde eo tempore commodissimus fuerit traiectionis, nec alibi sane hoc fretum

Breissimus inter Galliam & Britanniam tractus.

magis coarctatur. Quamuis existimandum sit nauigantes in transmittendo non nauiga= tionis compendium, sed portuum opportunitatem vtroque in littore spectasse. Sic quam= uis fretum angustissimum sit inter Blacness Galliaē, & The Nesse Angliæ: nunc tamen tra= iiciunt inter Dubrin, & Caletum, superioribus seculis priusquam obstrueretur Portus Vitsan, inter illum, & Dubrin, antea vero inter Rhutupias, & Gessoriacum, vnde Clau=

Gessoriacum. dius Imperator, & alii quos dixi duces in Britanniam transmiserunt. Gessoriacum hoc Plinius Portum Morinorum Britannicum vocare videtur, fortasse ob traiectum inde in Britanniam, Ptolemæus, apud quem in locum Itii prorepsit, Gessoriacum nauale, qua etiam significatione, Britanni Bowling Long vocitant. Nam Gessoriacum fuisse mariti= mum illud opidum, quod Ammianus Bononiam, Galli Bolongue, Belgæ Beunen, nos Bolen vocamus, asseueranter contra Boethium Scoticum & Turnebum affirmarim; cum ex B. Rhenani autoritate, qui * tabulam militarem antiquam vidit, in qua scriptum 'Gessoriacum, quod nunc Bononia,' tum itineraria ratione, quæ exacte respondet distantiaē, quam inter Ambianos & Gessoriacum interposuit Antoninus. Sed quod instar omnium est, pyriticam Carausii factionem, quam * Gessoriacensibus muris inclusam, & captam retulit Panegyricus Constantio A. dictus: alter ad Constantinum Maximum eius filium, ad * Bononiam fuisse deuictam commemorat, vt Bononia, & Gessoriacum sit necessa= rio vnum idemque opidum, vetustiusque nomen sub eo tempore exoleuisse videatur. Nec enim iudicandum est tantos authores ad tantos principes, in huius loci notatione (recenti tum memoria) aberrauisse. Sed quid mihi cum Gallia? Certe horum memo= riam libentius vsurpauit, quod maiorum nostrorum virtus sæpissime hac in ora emicuit, qui Caletum, & Bononiam Gallis extorserunt, quorum hanc supplicanti Gallo post o= ctennum pacta pecunia reddiderunt, illud vero, annos CCXII. Gallo fremente, tenuerunt. Nunc ad Britanniam secundo æstu reuehamur.

246

<305> A Dubri cautes ex creta, veluti serie cohærentes, per v. miliaria perpetuum habent dorsum vsque ad Folkstone, quod olim floruisse Romanorum numismata quotidie inuen= ta persuadent; quo autem nomine incertum. Ex illis turribus fuisse probabile est, quas Romani ad Saxones arcendos (Theodosio Iunior regnante) 'per interualla' (vt inquit Gildas) 'ad meridianam Britanniaē plagam in littore collocarunt,' Anglo-Saxonibus religi= onis nomine celebre fuit, a monasterio quod Eanswida Eadbaldi regis Cantii filia virgi= nibus consecrauit: nunc vero viculus est, eiusque partem maximam abrasit Oceanus.

Folkstone. Baronia tamen fuit familiaē de Abrincis. a quibus ad Hamonem de Creuequer, & per eius filiam ad Ioannem de Sandewico, cuius e Ioanne filio neptis Iuliana eandem Ioanni de Se= grauio in dotem attulit.

Saltwood. Conuersa inde ad Occasum littorum fronte, prope Saltwood castrum Cantuariensium Episcoporum, quod Guilielmus Courtenæus Archiepiscopus Cantuariensis adauxit, & Ostenhanger vbi Edwardus †Baro Poinings prole illegitima fœcundus, splendida inchoa= uit ædificia; ad quartum milliare Hith sedet, e quinque portibus vnus, vnde & illud no= men assumpsit, quod Saxonibus portum siue stationem sonat; licet nunc vix illud nomen ob arenas accumulatas tueatur, quibus mare longius excluditur. Nec tamen ita diu est, ex quo primum emicuit, ex occasu scilicet Westthythi, Opidulum illud est ad Occasum vi= cinum, portusque fuit, donec hinc se mare proauorum memoria submouerit. Originem autem vti & Westhithum, Limo debuit viculo adiacenti, qui olim celeberrimus erat por= tus, donec arenæ quas mare euomit, obstruxissent. Antoninus, & Notitiarum Liber

Hith, siue Hide. Portum Lemanis vocarunt, Ptolemæus <Limēn>, quod cum apud Græcos significati= uum sit, Librarii vt viderentur defectum supplere, <Kainos limēn> scripserunt, Latiniq; interpre= tes 'Nouum portum' conuerterunt: cum loci nomen Limen, vel Leman fuerit, vti hodie Lime. Stationem hic sub Comite littoris Saxonici Præpositus numeri Turnacensium habuit.

<306> Viaque hinc Militaris saxis constrata ad Cantuariam pertingit, quam Romanorum fuisse opus facile diiudices, vti etiam castrum proxime vicinum (Stutfall vocant) quod in de= iectu collis, decem quasi iugera inclusit, mœniumque reliquiæ supersunt Britannicis la= teribus, silicibus, calceque cum arena & grumis intrita sic compactæ, vt nec dum vetu= stati cesserint. Nunc vero licet portus non sit, dignitatis tamen pristinae vmbra non te= nuem retinet, Guardianus enim portuum hic ad Shipway solemne iniit iusiurandum, vbi primum magistratum inuit, & hic de caussis inter portuum incolas statis diebus agi sole= bat.

Portus Lema= nis. Lime. Nonnulli existimarunt magnum flumen hoc in loco se exonerasse, quod vnus & alter scriptor de Lemano fluuio, & Lemanis ostio meminerint, ad quod Danica classis anno salu= tis DCCCXCII. appulsa fuerit. Sed falsos eos in loci descriptione opinor, tum quod nullus hic fluuius nisi tenuis admodum, qui statim despectus emoritur: tum quod Huntingdonen= sis Archidiaconus pressæ fidei author, illam classem ad Lemanam portum appulsam scri=

Stony-street.

bat, nec verbum de flumine habeat. Nisi quis sentiat (quocum ego sentire non ausim) Rother flu. qui sub Rhie Oceano commiscetur, hac defluxisse, cursumque paulatim im= mutasse, cum campestris illa planities Rumney Marsh terræ accresceret. Hæc enim campe= stris regiuncula, quæ a Lemani XIII. mill. in longitudine, VIII. latitudine, occupat numeratque opida duo, parœcias XIX. iugera plus minus 44200. luxurianti viridita= te saginandis pecoribus aptissima, maris beneficio terræ paulatim accreuit. Vnde maris donum appellare non immerito possim, perinde ac Ægyptum fluminis Nili donum vo= carit Herodotus, & vir perquam eruditus Hollandiæ pascua, Boreæ & Rheni dona dixere= rit. Mare namque vt paria faceret, quod alibi hac in ora hauserit, hic reddidit, vel rece= dendo, vel limum subinde apponendo; vt nonnulla loca quæ auorum memoria mari in= cubuerint, vno & altero milliari a mari iam disiungantur. Quanta sit soli vbertas, quam numerosa armenta pascat, quæ huc saginanda ex vltimis Angliæ partibus mittantur: quan= ta arte aggeribus contra Oceani insultu communiatur, non facile credat, qui non propius conspexerit. Vt melius etiam administraret Red Edw. IIII. constituit vt corpus esset in= corporatum ex Baliuo, iuratis, & Communitate. Saxonico sæculo huius incolæ * Mercsc== ware Viri palustres dicti erant, & nominis sane significatio cum loci natura optime con= uenit. Nec ego Æthelwerdum antiquum illum scriptorem ꝑcupiat, cum prodit 'Cinulphum Merciorum regem vastasse Cantium, & regionem quæ Mercsc-warum' dicitur. Et alibi. 'Herby=

247

thum Ducem a Danis in loco Mercsc-warum' truncatum fuisse, si hanc ipsam palustrem regi= unculam non innuerit. Rumney, siue Romeny, & olim Romenal, quod e nomine Roma= norum opus fuisse coniectant nonnulli, huius tractus præcipuum est opidum. & e nume= ro quinque portuum cuius membra censentur Vetus Romeny & Lid, quæ iunctim quin= que naues bellicas, ea qua ante diximus forma, apparare tenentur. Sedet æditori tumulo e glareæ & sabulo, portumque ad occasum habuit satis capacem, & ad plerosque ventos com= modum, priusquam mare se subduxisset, Incolæ, vt est in Regis Guilielmi Primi libro, 'fuerunt quieti pro seruitio maris ab omni consuetudine, præter latrocinium, pacem fractam, & Foristell.' Floruitque tunc temporis inprimis, in custodias enim XII. erat diuisum, quinque habet ecclesias parochiales, Prioratum, & Nosocomium. Verum regnante Edwardo Primo, cum Oceanus ventorum violentia exasperatus hunc tractum operuis= set, lateque hominum, pecorum, ædificiorumque stragem dedisset; & Promhill viculo fre= quenti pessundato, etiam Rother, qui hic prius se in Oceanum exoneravit, alueo emo= uit, ostiumque obstruxit, nouo in mare aditu compendio per Rhiam aperto: ita vt sensim hoc opidum deseruerit, quod iam inde decreuit, & pristinae frequentiae & dignitatis mul= tum amisit.

Sub hoc, terra in Ortum euecta longius procurrit, (Nesse, quasi nasum vocamus) cui insidet Lid satis frequens quo incolæ de Promhill post illam inundationem comigrarunt. Et in ipso extremo promontorio quod Denge-nesse vocant, vbi nihil nisi glareæ & scrupi, llices aculeatis suis foliis perpetuo virentibus in formam syluæ humilis per mille passus & vltra lætissime proueniunt. Inter scrupos autem illos prope Ston end, cumulus maiorum lapidum conspicitur, quem vicini tumulum Sanctorum Crispini & Crispiniani esse vo= cant, quos in hoc littus naufragio eiectos; & in cœlestem patriam hic euocatos perhibent. Inde se reducens recta in occasum littus fertur ꝑpisarum inter scrupos ferax, quæ racema= tim numerosa congerie sua sponte succrescunt, & parum a pisis campestribus sapore diffe= runt, ad Rotheri vsque ostium procurrit, quo alicubi a Southsexia Cantium disternitur

Huius decursum a Southsexia parte superius paucis persequuti sumus. A Cantii par= te, Newenden habet, quod fuisse portum illum diu quæsitum, quem Notitiarum liber Anderidan, Britanni Caer Andred, Saxones Andredsceaster nuncuparunt, fere persuadeor: primum quod incolæ vetustissimum fuisse oppidum, & portum fassauerant: de= inde quod ad Andredswald syluam, cui nomen fecit, situm habeat: postremo quod Britten= den, .i. Britannorum vallem, Saxones dixisse videantur, (vti etiam Segontium de quo an= tea) vnde Selbrittenden toti Centuriæ adiacenti nomen. Romani, vt hanc oram con= tra Saxones piratas tuerentur, numerum Abulcorum, cum eorum Præfecto, hic statue= runt. Postea tamen Saxonum furore penitus deletum concidit, Hengistus enim, cum Britannos e Cantio omnino exturbare in animo haberet, maximique sua interesse existi= maret, si maioribus copiis turmas adaugeret; AEllam e Germania cum magna Saxo= num manu euocauit. Qui dum magno impetu Anderidam hanc oppugnaret, Britanni e sylua proxima insidiantes, ita eum exagitarunt, vt cum tandem post multas vltro, citroque illatas clades, partitis copiis, & Britannos in syluis fudisset, eodemque tempore in opi= dum irrupisset, ita ad vindictam barbari animus exarsit, vt occisis incolis funditus euerte= rit. 'Locus vero desolatus multis post sæculis transeuntibus,' (vt inquit Huntingdonensis) 'ostendebatur,' donec sub Edwardo Primo fratres Carmelitæ e Carmelo Palestinæ recens

Rumney Marsh.

Petrus Nan= nius.
<307>

* Marshmen
795.

Rumney.
Vid. pag 226.

Anno 1287.

Lid.
Denge-nesse.

Anderida.
Andredcester.

<308>

Oxney.
Apuldore.

profecti, qui solitaria quærebant loca, hic monasteriolum ex impensis Thom. Albugeri militis posuerint, opidumque statim enatum, quod ratione veteris opidi diruti, Newenden, id est, Nouum in valle opidum, dici cœpit. **Rother flumen inferius dispersit aquis insulam Oxney gramine luxuriantem amplectitur, & prope ostium Apuldore habet, vbi piratica Danorum & Normannorum colluies quæ sub Hastingo Gallica littora infestauerat, prædiis onusta terram conscendit, strumque erexit, quos tamen AElfredi Regis virus ad pacis condiciones compulit.**

Res pannaria
primum in
Anglia.

Iuxta in syluestri regione sunt Cranbroke, Tenterden, Benenden, & alia vicina opida, in quibus lanificii, siue rei pannariæ laus in primis floruit iam inde ab Edwardi III. temporibus, qui propositis præmiis, & plurimis concessis immunitatibus Belgas in Angliam anno regni sui decimo euocauit, uti nostros artem illam panni lanei contexendi edocerent, quæ hodie inter Reip. nostræ columina merito numeratur.

248

Comites
Cantii.

Nunc ut Cantii Comites suo ordine percenseam, (omissis Saxonibus Godwino, & aliis, qui non hæreditarii, sed officarii Comites erant) Odo vterinus Guilielmi Primi frater, primus habetur e Normannico sanguine Cantii Comes, simulque Baiocensis Episcopus, vir ingenio prauo, turbidoque, & rebus nouandis semper intento, vnde post grauissimam, quam concitabat seditionem, suis sedibus, & fortunis in Anglia a nepote Guilielmo Rufo eiectus. Deinde cum Stephanus Angliæ vsufructuarius bellicosos homines beneficiis sibi astringeret, Guilielmum Ipresem Flandrum eo honore exornauit, qui **'violentus Cantii incubator,'** ut Fitz-Stephanus vocat, cum lachrimis emigrare ab Henrico Secundo coactus. Henrici etiam II. filius, quem in Regem pater coronauerat, eadem de causa Philippo Flandriæ Comiti, Cantii etiam titulum adiunxit, cum res nouas in patrem moliretur, sed hic tantum titulo, & promisso tenus Cantii Comes erat. Ut enim habet Geruasius Dorobernensis: 'Comes Flandriæ Philippus suum pro posse respondit auxilium iuueni Regi, faciens homagium cum iuramento. Cui pro seruitio suo promisit Rex cum toto Cantio, 1000. librarum redditus, Castellum quoque de Roffa, cum Castello de Douoria.' Non longo post tempore Hubertus de Burgo optime de Repub. meritis, suo quasi merito eundem honorem ab Henrico III. accepit, vir patriæ vere amans, & qui omnia officia, quæ a ciue optimo patria exigere possit, inter medias aduersantis fortunæ procellas cumulate præstitit; honore tamen exutus diem obiit: iacuitque hic titulus vsque ad Edwardi II. tempora. Ille enim fratri suo iuniori Edmundo de Woodstock contulit, qui nepotis sui Edwardi III. tutor, falsæ & iniquæ inuidiæ tempestatem subiit, securi percussus, quod in fratrem depositum, fraternum animum nunquam obscure tulerit, & illum iam e medio sublatum, (quod tamen illi omnino ignotum) e custodia liberare cogitauerit. Filii tamen duo Edmundus & Ioannes successerunt suo ordine, quibus sine sobole mortuis, hunc honorem eorum soror, ob venustatem dicta The faire maide of Kent, superstes, in equestrem Holandorum familiam transtulit: Thomas enim Holand eius maritus **dictus erat Cantii Comes, quem eo honore sequutus est** Thomas eius filius, qui obiit anno vicesimo Rich. Secundi, cui successerunt bini eius filii, Thomas qui Dux Surreiæ creatus, statimque dum res nouas in Regem Henricum Quartum moliretur, obtruncatus, & **post eum** Edmundus qui Angliæ Archithalassus, dum Fanum Brioci in Britannia Armorica oppugnaret, accepto vulnere, anno salutis MCCCCVIII. occubuit. In his cum hæc dignitas exacta periodo intercidisset, **patrimonio inter sorores diuiso**, Rex Edwardus IIII. primum Guilielmum Neuill Dominum de Fauconberg; eoque extincto, Edmundum Grey Dominum de **Hastings, Weisford, & Ruthyn** Cantiani Comitis **titulo** adauxit, qui Georgium filium successorem habuit. Ille ex Anna Wideuile coniuge prima Richardum Comitem Cantii progenuit, qui sine sobole diem clausit **cum hæreditatem profuisset;** ex secunda autem vxore Catharina filia Guilielmi Herberti Comitis Penbrochiæ Henricum Grey Equitem suscepit, cuius e filio Henrico nepos Reginaldus in Comitem Cantii a **Regina Elizabetha Anno MDLXXII.** erectus erat. **Illique** sine prole defuncto Henricus eius frater successit omnibus veræ nobilitatis ornamentis **vir** longe honoratissimus.

Anno E. 2. 15.
<309>

S. Brieu.
Tho. Walsingham.

Habet hæc prouincia paræcias 398.

.....

853

<818>
Toliapis.
Caanus.
<819>

..... E regione Zelandiæ Tamisis nobilissimus Britannia flu. in Oceanum illabitur, quo loci duas insulas Toliapin, & Caanam, siue Conuennon locat Ptolemæus. De altera Toliapi **quam Shepey suspicor, vide in Cantio.** Magis ad Ortum extra Tamisis ostium Tanato insulæ locus vadosus, arenosus, & nauis

Canuey.
Vide in Esse=
xia pag. 318.
Shepey.

Goodwine
sands.
Lomea non=
nullis.

Fretum Bri=
tannicum.
Vide pag. 247.
Mare Britan=
nicum.

gantibus insidiosus longe præiacet, quem Goodwine sands vocant, vbi insulam anno
MXCVII. absorptam, quæ Comitibus Goodwini patrimonium erat, produunt Annales.
De quo sic Ioannes Twinus. 'Fuit hæc terra valde fertilis, & pascuis abundans, paulo hu=
milior quam Tanatos, ex qua transitus per nauiculam, tria aut quatuor millia passuum lon=
gus erat. Hæc insula, insolita tempestate ventorum, imbrium furore turbulento, & inaudita
maris rabie immergitur, & eructata arena incredibiliter obducitur, & irrecuperabiliter in
dubiam terræ & maris naturam conuertitur: intelligo enim quid loquor, quia interdum to=
ta fluitat, interdum vero patitur gradientes decedente mari.' Forsan hæc Toliapis, ni malis
pro Toliapis, Thanatis legere, & nonnullis exemplaribus Toliatis legitur, de
qua in Cantio egimus.

Hoc in loco immensa aquarum vastitas ita coarctatur, vt Oceani fauces inter Europæ
Continentem & Britanniam non amplius xxx. mill. pass. pateant, quæ angustiae Fretum
aliis Britannicum, aliis Gallicum dicitur, & maris est Britannici, limes quod sensim littora,
quæ quasi coierant, semouet, & terris vasta æqua portione cedentibus, Britanniam &
Gallias ab Ortu ad Occasum interluit. Ab hoc Britannicum mare incipit,

.

<861>

CORRIGENDA.

. 239, 16, AREA. 244, 41, dele non. 246, 54, capio. 247, 24, pisorum.

<This is the sixth and last of the Latin editions of the 'Britannia'. For Camden it was – or in time became – the definitive version of the book, the version which critics would have to cite if they expected him to respond. (By saying that, he was disowning the additions which he had made in the English translation published in 1610; out of that grew the myth that these 'interpolations' were made by the translator.) The format is larger than before (the quires are of six leaves, not eight); for the first time the book includes a set of maps. (The map of Kent, dated 1605, is one of those provided by John Norden.) In the chapter relating to Kent there are numerous additions, the largest of which (linked with some reorganization of the contents) is an attempt to come to grips with the question 'whether Kent was once joined to the continent' (pages 243–5). But Camden has also gone through the text rather thoroughly, tidying up the punctuation, changing or transposing a word, adding a phrase here and there. He has even revised the spelling of some words and proper names: most notably, he now prefers 'opid(ul)um' to 'oppid(ul)um', 'Ninnius' to 'Nennius'. I have marked all the changes which seem at all important, but the reader should note that there are many small adjustments which I have left unmarked. Misprints are few. One obvious blunder went uncorrected (page 247); on page 245 'Qui' ought to be 'Quomodo' ('How' in the English edition) and ought not to start a new paragraph. Camden's personal copy of this book survives (Oxford, Bodleian Smith 1), and is reported to contain some interesting annotation. As far as Kent is concerned, there are only a dozen small corrections, the gist of which is given below. Three of them overlap with the printed list of errata; only one is substantive. The address for a 'hypertext critical edition' of the entire book is also given below; the text is not as accurate as it might be, but the annotation is helpful. – C.F. July 2010, last revised February 2011.>

230/53 after Rowennæ delete comma
233/7 for tacitus read tacite
235/41 after Buckingham delete colon
239/10 after Laurentii add comma
239/11 after Honorii add comma
239/16 for ARCA read AREA
243/28 for stilis read stylis

243/31 for crebis read crebris
245/46 for pyratiam read piraticam
246/13 delete Baro
246/54 for cupiat read capio
247/24 for pisarum read pisorum

<http://www.philological.bham.ac.uk/cambrit>